

Herrn Geheimrath Prof. Dr. J. Vahlen

Berlin W

Genthinerstr. 22

...sache
F. Leo
m. b. D.

AD PRAEMIORVM

A QVATTVOR ORDINIBVS PROPOSITORVM

PVBLICAM RENVNTIATIONEM

QVAE FIET DIE VIII. MENSIS IVNII A. MDCCCXCVIII

HORA IV

HVIVS ACADEMIAE CIVES

ET QVI EIVS STVDIIS FAVENT

INVITANT

VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR ET SENATVS

ANALECTA PLAVTINA

DE FIGVRIS SERMONIS II

SCRIPSIT

FRIDERICVS LEO

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

WILH. FR. KAESTNER.

AD PRAEMIORVM
A QVATTVOR ORDINIBVS PROPOSITORVM
PVBLICAM RENVNTIATIONEM
QVAE FIET DIE VIII. MENSIS IVNII A. MDCCCXCVIII

HORA IV

HVIVS ACADEMIAE CIVES

ET QVI EIVS STVDIIS FAVENT

INVITANT

VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR ET SENATVS

ANALECTA PLAVTINA
DE FIGVRIS SERMONIS II

SCRIPSIT

FRIDERICVS LEO

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

WILH. FR. KAESTNER.

Revertenti mihi ad disputationem de figuris sermonis Plautini nuper incohatam ante omnia quaerendum videtur, ecquid in eo sermone ad ipsam artem rhetoricam referendum sit. quae quam intricata sit quaestio facile apparet. neque enim satis est verborum figuras deprehendere, sed tria utique considerabit si quis iudicare volet: primum quid poetae attici exemplar praebere Plauto potuerit, deinde quid dictionis popularis nativae simplicitati tribui debeat, postremo quae figuratae per artem elocutionis indicia suppetant. certe has quaestiones plerumque ponemus facilius quam solvemus; sed quam multiplex dubitatio sit cogitantes caute incedemus.

Certius autem quam in ceteris disciplinae rhetoricae indoles cognoscitur in eo genere figurarum *quod aut similitudine aliqua vocum aut paribus aut contrariis convertit in se aures et excitat* (Quint. IX 3, 66). quo de genere universo atque de historia rei Eduardus Norden in libro de arte sermonis pedestris modo edito ita disputavit ut otium nobis fecerit dumos sentesque excidendi atque negotium non aliud reliquerit quam per viam tutam ac munitam porro proficiscendi. ille cum continere fere se intra prosae orationis fines voluerit, tamen poetarum quoque admonuit, Euripidis praesertim et Enni (p. 29. 832. 889), quorum uterque incipientem artem popularium suorum sensui insinuavit. sane Plauti Terentique sermo a pedestri non longius distat quam scriptorum multorum a poetico; ut figurarum in orationis usum inde a Gorgia fortibusque qui ante Gorgiam fuere excultarum historiam etiam comicorum latinorum ars aliqua ex parte inlustrare posse videatur[1].

---

1) 'De usu adnominationis apud Romanorum poetas comicos' egit O. Raebel (Halis 1882), quam disputationem huic nostrae adhibebit qui plenam exemplorum copiam desiderabit. rhetorum testimonia congessit idem p. 5 sq. et L. Buchhold de paromoeoseos apud veteres Romanorum poetas usu p. 7 sq.

Verbis ludendi latus campus est, neque continuo ad artem referemus ne ea quidem quae rhetores in disciplinae ordinem redegerunt; satis enim ex Quintiliano scimus quam difficile fuerit artis scriptoribus sermonem naturaliter figuratum ab artificioso secernere. ante omnia igitur testimoniis opus est quibus dicendi aliquod genus ab aliis quoque scriptoribus de industria usurpatum esse comprobetur; unde probabiliter saltem de artificio per scholam litterasve tradito coniectura fiet. velut, ut hinc incipiam, vocabuli unius formas vel unius stirpis vocabula cumulare, ut unius rei notio aures animumque spectatoris impleat, frequens Plauto lusus est: Pseud. 940 *memorem immemorem facit qui monet quod memor meminit*, Capt. 774 *ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies*, Amph. 278 *optumo optume optumam operam das*, Cas. 826 *mala malae male monstrat* et quae eius generis alia attulit Lorenzius ad Pseud. 648; item Naevius com. v. 90 *numquam quisquam amico amanti amica nimis fiet fidelis*. sed similia notum est etiam apud tragicos poetas graecos inveniri (ut cum Casinae versu, quod consilium poetae attinet, apte componetur Aeschyli Pers. 1012 *δόσιν κακὰν κακῶν κακοῖς*), item philosophi aliique, qui rem aliquam saepe semperve vel etiam nusquam fieri cum vi pronuntiare velint, id ipsum *πᾶν*, *πολύ*, *ὅσον*, *οὐδέν* tripliciter reddunt, velut Gorgias Hel. 18 *πολλὰ δὲ πολλοῖς πολλῶν ἔρωτα καὶ πόθον ἐνεργάζεται* et Lucretius I 814 *quia multa modis communia multis multarum rerum in rebus primordia mixta sunt*; cuius usus exempla dedit Lobeckius ad Aiacem p. 315. in comoedia qui quaeret non multa inveniet tinnitu tantum et nimietate conspicua quale decantatum illud Philemonis (Stob. III 19, 2 p. 530 H.) *ὁ λοιδορῶν γάρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται λοιδορῶν*. nam adferre non licet nec Menandro ascribere quod in Menandri et Philistionis comparatione legitur *ὁ γέλως ἂν μὴ ᾖ τοῦ γέλωτος ἄξιος, αὐτὸς πέφυκεν τοῦ γέλωτος κατάγελως* (Studemundi ind. lect. Vratisl. 1887, 30 v. 157), verba insulse ficta secundum Menandri iocum, quem nobis servavit Plautus Stich. 630 (*nunc ego nolo ex Gelasimo mihi fieri te Catagelasimum*), repetitum illum ab Aristophane (cf. quaest. Plaut. 123)[1];

1) Quae ibi attuli a Menandro aliisque novae comoediae poetis ex Aristophanis certorum locorum memoria composita, eis addere iuvat Pseud. 360 sq. ubi quod Ballio leno Pseudolo et Calidoro mala multa ingerentibus verbis respondet mitissime singula convicia recipientibus et agnoscentibus (hoc modo: *Impudice. Itast. Sceleste. Dicis vera. Verbero. Quippini? Bustirape. Certo. Furcifer. Factum optume* e. q. s.), ita rem instituit primus quantum scio Aristophanes Nub. 909 sq. *τοῦ ἀδίκου λόγου* impudentiam, ut ille lenonis, illustrans: *Καταπύγων εἶ κἀναίσχυντος. Ῥόδα μ' εἴρηκας. Καὶ βωμολόχος. Κρίνεσι στεφανοῖς. Καὶ πα-*

atque Menandrum eas ipsas de quibus agimus figuras, *λέγω δὲ τὰ ἀντίθετα καὶ ὁμοιόπτωτα καὶ παρωνυμίας*, raro et cum ratione usurpasse in universum testatur Plutarchus p. 853 B in epitoma comparationis Menandri et Aristophanis. cumulare autem illo modo vocabula ne Aristophanes quidem saepe solet, ut Pac. 901 *ἵνα δὴ κέλης κέλητα παρακελητιεῖ* cum acumine dixit non eiusdem generis [1]. certe Philemonis illi versus satis probant potuisse Plautum in exemplaribus atticis similia invenire quibus sermonem suum accommodaret. ultra levioris generis fines in eadem causa progredi videmus Ennium, cuius nota sunt et nimia in satura *nam qui se frustrari quem frustra sentit, qui frustratur is frustrast, ille non est frustra* (quae verba cum Philemonis illis contulit Marxius ad Herenn. p. 118) et fortasse in satura *quoiquam quisquam quemque quisque conveniat neget* (quae Ribbeckius trag. ed. tert. p. 84 cum Plautinis Pseud. 134 *quorum numquam quicquam quoiquam venit in mentem ut recte faciant*, v. Lobeckius l. s.); quibus accedit Lucilius v. 1075 sq. verbi quod est *scire* formas aggerans; sed etiam in tragoedia Ennius (256) *stultust qui cupidam cupiens cupienter cupit.* ex hoc Enni tragici cum Plauto consensu coniecturam facere de figura ex rhetorum ludo in vetustas Romanorum litteras perlata non licet, cum Ennium in epico quoque sermone sine modo ludentem noverimus et non dissimilia vel in tragoedia attica eum invenire potuisse viderimus atque omnino Romanorum sensui ut Graecorum figuram etymologicam placuisse compertum sit [2]. sed alia apud Plautum legimus eiusdem generis subtiliore arte enuntiata, velut Capt. 358 *quod bonis bene fit beneficium, gratia ea gravidast bonis* cumulationi *πάρισον* accedit quale Pers. 674 *si quid bonis boni fit, esse id et grave et gratum solet*; vel Capt. 255 *qui cavet ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet; etiam cum cavisse ratus est, saepe is*

τραλοίας. Χρυσῷ πάττων μ' οὐ γιγνώσκεις. Calidorus sic desinit: *verberavisti patrem atque matrem*, quibus verbis vertisse Plautum videri attica *πατραλοίαν* et *μητραλοίαν* significavi p. 93. Plautum imitatus videtur Titinius v. 137, ut Ribbeckius monuit.

1) Eo modo dixit quo comicus ignotus cuius verba reddit schol. Eq. 1304 *μετὰ δὲ τὴν ἀποβολὴν τοῦ Κλέωνος εὐθέως ὑπερέβαλεν ὑπὲρ τοῦ Ὑπερβόλου* (cf. Meineckius com. V 1 p. 123, hist. crit. 190) vel Plautus Pseud. 585 *Ballionem exballistabo*, Trin. 977 *tu te — rursum recharmida.*

2) *Qui servitutem servit* antiquos dixisse servum finientes testatur Quintilianus VII 3, 26, item Plautus solet et antiqua verba reddens Livius; *si quis a servis quique pro servis servitutem servierunt accipit <quod> duit is* in lege Cincia de donationibus Plauto florente lata; cf. Mommseni iur. publ. III 421, Brunsi font. iur. rom.[5] 45.

cautor captus est item quale Epid. 359 *iam ipse cautor captust.* atque hoc quidem unde venerit satis apparet ex Ciceronis argutiis quibus utitur in Trebatium ep. VII 6, 2 *tu qui ceteris cavere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris caveto* ac saepius, vel ex Ovidi artis I 83 *illo saepe loco capitur consultus Amori, quique aliis cavit non cavet ipse sibi*, quae composuit Jörs (röm. rechtswiss. I 80); scilicet in foro figura nata est et ex usu iam communi a Plauto recepta. aliquotiens quaesitior etiam concinnitas in verbis repetendis et assimilandis conspicitur, ut in senis elegantiam suam sedulo ostentantis oratione Mil. 642:

vel cavillator facetus vel conviva commodus
item ero, neque ego oblocutor sum alteri in convivio:
incommoditate abstinere me apud convivas commodo
commemini et meae orationis iustam partem persequi
et meam partem itidem tacere, quom alienast oratio.

quibus in versibus apparet quam artificiose collocata sint *conviva convivio convivas, commodus incommoditate commodo* quibus adiungitur propter sonum *commemini*, deinde quae de *parte orationis* membris cum cura contrapositis dicuntur; atque in initio quoque *oblocutor* propter *cavillatorem.* aliud eius generis exemplum Curc. 533 sq., ubi miles magna verba facit:

non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia,
sed eapse illa qua excidionem facere condidici oppidis.
nunc nisi tu mihi propere properas dare iam triginta minas,
quas ego apud te deposivi, vitam propera ponere.

hic non tantum verba partim aggerata tantum partim cum acumine sententiae repetita, sed etiam *incedo — excidionem* propter sonitum composita esse existimo [1]).

Inter 'varias ac multas rationes' quibus adnominatio conficitur, ab auctore rhetoricorum ad Herennium (IV 29 sq.) et Quintiliano quodvis genus argutiarum e verborum similitudine captatarum recensetur. quibus quam frequenter Aristophanes utatur non magis

1) Ad idem genus pertinere nunc intellego versus Amph. 891 sq.:
faciundumst mi illud, fieri quod illaec postulat,
si me illam amantem ad sese studeam recipere,
quando ego quod feci id factum Amphitruoni obfuit
atque illi dudum meus amor negotium
insonti exhibuit, nunc autem insonti mihi
illius ira in hanc et maledicta expetent.
ubi praeter verba cum antitheto repetita v. 892 artificiosa collocatio conspicitur, dirimentibus se invicem *me amantem* et *illam ad sese.*

attinet exemplis comprobare quam Plautina congerere. scilicet Plautus ingenio suo non minus quam Aristophanes indulgebat, quod parcius Menandrum saltem fecisse Plutarchi iudicium supra adlatum testatur, aliud testimonium disputatione procedente tractabimus. pleraque huius generis cum cogitari nisi latina non possint[1]), possunt tamen graecis similibus substituta esse; sed probabile plerumque erit talium lusuum gratia Plautum ab attici poetae exemplo exspatiari, ostendi interdum potest, ut Capt. 69 sq. (cf. quaest. Plaut. 95). ne talia quidem qualia leguntur Poen. 137 *σαὶ δὲ κολλῦραι λύραι*, Pseud. 712 *Charinus* — *χάριν* a graeco acceperit magis quam illa *Crucisalum ex Crusalo*, *damnum in Epidamno*, *Archidemidem* a demendo. cuius generis omnes species a rhetoribus commemoratas ingerit auditoribus Plautus, alias qualia *etiam in iocis frigida tradi inter praecepta* miratur Quintilianus IX 3, 69 (ut Capt. 860 *non enim es in senticeto, eo non sentis*, 182 *profundum tu quidem vendis, haud fundum mihi*, Cas. 851 *at mihi qui belle hanc tracto non bellum facit* ac statim (853) *paene exposivit cubito: cubitum ergo ire volt*, Men. 257 *geminum dum quaeres gemes*, Boeot. 7 *quom est non estur*[2])), alias tectius *πάρισον* verbis tenui litterarum discrimine distantibus, velut Merc. 416 *conficiet pensum*, *pinsetur flagro*, Rud. 102 *nam nunc perlucet ea quam cribrum crebrius*, Stich. 745 *fictast, infectast tamen*, Mil. 7 *gestitem — gestit*; sic *flagiti flagrantia* Rud. 733, *impudicitia impedivit* Amph. frg. 16, *pessumum pessum date* Rud. 617 (Merc. 847 Most. 1171), *ne nimio opere sumat operam* Curc. 468[3]), delicatius Curc. 153 *pessuli pessumi*, et multa eius generis tantum propter sonitum quaesita. ad illos nominum propriorum lusus accedunt etiam haec: *nunc Venerem hanc veneremur bonam* (Rud. 305 Poen. 278), *Spemne an Salutem te salutem* (Pseud. 709). cuius generis causa vim verbis facere risum excitaturus non dedignatur, ut in illis *in collumbari collus* (Rud. 888), *domi domitus* (Men. 105), *auribus peraurienda sunt ne dentes dentiant* (Mil. 33), ad quos locos quae in editione adnotavi conferet qui volet; eodem referremus Capt. 84 *ruri rurant homines*, nisi eodem verbo, et deponenti quidem, etiam Varro uteretur pro eo quod est *rusticari*[4]). item ver-

---

1) Cf. Raebelius de usu adnom. 59 sq.

2) Boeot. 6 de ventre dicit parasitus: *ubi is te monebat, esses, nisi cum nil erat; nunc etiam quom est non estur, nisi Soli libet.* sic me emendasse versum 6 (Plauti com. II p. 527), ubi *esse* pro *esses* est in Gelli codicibus, fugit Ribbeckium (ed. 3 p. 39). — alia Plautina Raebelius de usu adnom. 56 sq.

3) Similiter Bacch. 60 Ter. Heaut. 73 Phorm. 760.

4) Etiam *vilicari* significare *rusticari* ut *villae praeesse* parum recte dicit Nonius 185 et lexica post illum; exempla certe quae adfert ad vilici officium

borum significationem figurae causa inflectit Mil. 669 *quid ad illas artes optassis, si optio eveniat tibi*, ubi optionem non duarum rerum dicit optandi verbo iuxta posito, itemque Cas. 190 *nec mihi ius meum optinendi optiost* quasi copiam dicat; de quibus locis ex norma ac regula iudicans Langenus stud. Plaut. 326 fallitur. in hoc genere *melius atque acrius* Quintilianus dicit (§ 71) *quod cum figura iucundum est tum etiam sensu valet*; digna res quae Plauti aliquot exemplis inlustretur. Merc. 356 *hocine est amare? arare mavelim quam sic amare*[1], fortasse ex Philemonis exemplo verbis *ἐρᾶν* et *ἀροῦν* ludentis; Merc. 82 *amens amansque*, quod exornavit Terentius And. 218 *inceptiost amentium*, *haud amantium*, repetiit Apuleius[2]; Trin. 259 *Amor amara dat tamen*, cuius ornamenti exemplum Quintilianus ponit *vitandi potius quam imitandi gratia* (§ 69, cf. ad Herenn. IV 21); Men. 978 *nam magis multo patior facilius verba*, *verbera ego odi*, quod repetunt Terentius Heaut. 356 *tibi erunt parata verba*, *huic homini verbera* et Varro rer. rust. I 17, 5 *ut verberibus coerceant potius quam verbis*, sed ipse Plautus iterum usurpat Truc. 113 *me illis quidem haec verberat verbis* figuram sensu facile se praebentem[3]; Merc. 345 *ita animi decem in pectore incerti certant*, quod non tantum Volcaci Sedigiti admonet *multos incertos certare hanc*

---

spectant, legendum autem cum codicibus Turpil. 82 *huic vilicor ante urbem, nunc rus eo* (non *hic*, nam vilicus rus iturus loquitur ante aedes domini) et 170 *ego nondum etiam huic vilicabor, Phaedria* (non *hic* aut *hice*). his de Turpilio addo, quod Nonius s. *tangere* adfert servuli ex Leucadia verba: *hoc quaero, ignoscere* | *istic solentne eas minores noxias*, | *erum si forte, quasi alias res, vini cauo*, admodum improbabile esse recte Cuiacium restituisse *vini tago*, multis de causis; nec opem tulit proxime praecedentibus verbis. probabile est iacturam factam esse sic fere resarciendam: *erum si forte, quasi alias res <egerim*, | *inter promendum tetigero> vini cado.* — v. 210 non defendi *benignitatis atque obsequellae* versus initium, sed improbavi. septenarii esse videntur: *cum interea* | *nil quicquam a me est praemi neque erat tuae benignitatis* | *atque obsequellae.* — non septenarii iambici sunt Titini versus 37. 38 sed anapaestici: *libram áiebant satis ésse ambobus fárris.* | *Intrítae plus comest sóla uxor*; iambici qui secuntur *postquam factus <es> maritus, hanc domum abhorres,* | *tuam etiam uxorem pauciens video.* item Afrani v. 371, quem obiter emendo: *homo mulierosus* | *confercit se ilico alio*; notum quid in amore valeat alium. eiusdem anapaestos ascribo v. 400: *quae nunc offendo saepe procul nostra sint mala*, *ἃ δάκνει νυνὶ πόρρω μάνδρας τῆς ἡμετέρας γίγνοιτο κακά.*

1) Mart. IX 21, 4 *Artemidorus amat*, *Calliodorus arat* contulit Taubmannus. Quintilianus l. s. *ex oratore arator* e Cicerone.

2) Cf. Woelfflinus rel. acad. Bavar. 1887, 195.

3) Shakespearius Jul. Caes. V 1 *words before blows*, deinde *good words are better than bad strokes* e. q. s., item Schillerus jungfr. v. Orl. II 10 *erst worte und dann streiche.*

rem commemorantis, sed etiam Enni sic praecipientis: *amicus certus in re incerta cernitur* (trag. 388); Capt. 103 *nam ni illum recipit, nil est quo me recipiam* vel Pseud. 90 *certumst mihi ante tenebras tenebras persequi* et alia eleganter dicta ut similia a Quintiliano adlata § 67 sq.; Capt. 661 *sator sartorque scelerum et messor maxume*, ubi messor satori opponitur sine adnominatione, fere ut carum vilitati v. 229 *pro tuo caro capite carum offerre me meum caput vilitati*, sed adnominatio *sator sartorque* vim dictionis exauget: quam figurae propriëtatem deinde ipse poeta in ridiculum convertit Tyndari argutiis sic insequentis: *non occatorem dicere audebas prius? nam semper occant prius quam sariunt rustici*, plane ut in simili figura v. 690 Tyndaro fortiter contendenti *qui per virtutem, periit at non interit* regerit senex: *vel te interiisse vel periisse praedicent*; *dum pereas, nihil intererit.* atque hic quidem contrapositum cum adnominatione coniunctum est; item Men. 805 *male facit, si istuc facit*; *si non facit, tu male facis* vel alio modo Trin. 34 *nimioque hic pluris pauciorum gratiam faciunt pars hominum quam id quod prosit pluribus*, ubi sententiae conformatio quomodo figurae inserviat manifestum est. sed haec omnia tam frequentia sunt in Plauti sermone, ut incidenda sit ne spatium excurrat exemplorum series. atque iam in eis quae attuli inerant quaedam ab aliis eius aevi poetis simili modo usurpata; permulta pro paucitate versuum quibus utimur Naevius praebet, quem Plautus ducem subsecutus est: *primum ad virtutem ut redeatis, abeatis ab ignavia, domi patres patriam ut colatis potius quam peregri probra* (com. v. 92), *libera lingua loquemur ludis Liberalibus* (113), *utrum scapulae plus an collus calli habeat nescio* (115), *ingurgitavit usque ad imum gutturem* (135), *ante parta patria* (84), *eius noctem nauco ducere* (105) vel quae verba bellissimam meretricis notationem incohantia *alii adnutat alii adnictat* (76) Plautus imitatus est Asin. 784 *neque illa ulli homini nutet nictet adnuat*[1]).

---

1) Imitatio in eadem lege amatoria eiusdem loci Naeviani conspicitur v. 778 *spectandum ne cui anulum det* (Naev. 78 *anulum alii dat spectandum*, cf. Ribbeckius [3] p. 23) et confirmat quod dixi Plautum versus Naevianos in lege sua exornanda respexisse. item in Asinaria Plautus pistrinum *αἰνιγματωδῶς* designat v. 31 sq. ut Naevius com. 98; Pseud. 121 sq. vel Bacch. 507 sq. in mentem revocant Naeviana v. 95 *deos quaeso ut adimant — et patrem et matrem meos* certe sic *παρὰ προσδοκίαν* enuntiata. — in transcursu moneo Naeviani fragmenti ultimum versum (*cum alio cantat, at tamen aliis dat digito litteras* codices Isidori originum) rectius si quid video quam in editione (*alii suo dat*) Ribbeckium emendasse in corollario p. XVII: *alii signat.* novum Naevi fragmentum vel auctius (nam prima verba Paulus dederat) nuper apparuit in glossario codicis Cassinensis (corp. gloss. V 565, 6) et Vaticani (521, 15), tractatum a Landgrafio in Woelfflini arch. IX 172 sq. verba haec sunt: *cocus edit* (*edidit* Vat.) *Neptunum, Cererem et*

de Caecilio Plautum subsecuto et Terentio deinceps dicam. Trabea *lena delenita argento* (v. 1), Turpilius *nautae circumventi ventis* (48, cf. Pl. Cist. 14 sq.), *intercapedine interficior* (109), *solitudo sanctitudo Apollinis* (114), Titinius *sapientia gubernator navem torquet, non valentia* (127), Afranius *haec ieiuna ieientavit* (43), *nemo illa vivit carie curiosior* (250), *labris inter se velitari, velificarier* (266), in Atellana Pomponius *tacitus taxim* (23), *sine frustis ventrem frustrarunt suom* (79), *cenam quaeritat — revortit maestus ad menam* (80), *restis vilest, ea velet gulam* (97), *strena strenuae* (114), *huic seni senium* (136), *servi comici commictilis* (138), *ego rumorem parvi facio dum sit rumen qui impleam* (152), *sperant spurcae* (155), *lardum lurchabat lubens* (169), *malis molui* (188)[1]), Novius *temeti timor* (17), *vestimentum vesceris* (52), *supparum purum* (70), in mimo Laberius *malas malaxavi* (37), *lubidinitate labitur* (81), *delenimenta deliramenta*, *beneficia veneficia* (134). sed non pauciora Gorgianarum figurarum exempla tragicorum fragmenta exhibent. *lenitudo orationis mollitudo corporis, lassitudinemque minuam manuum mollitudine*, *maerore errore macore senet* sic Pacuvius (247. 246. 275), *Pari dispar si esses tibi*, *auguribus qui auris verbis divitant alienas suas ut auro locupletent domos*[2]) Accius (561. 169), *quam cara sint quae post carendo intellegunt* tragicus incertus (194), omnes dignitatem figurae Plauto usitatae tragico stilo vindicantes. quod fecerunt Ennium Plauti aequalem secuti. ex cuius tragico sermone satis est attulisse v. 41 *mater optumarum multo mulier melior mulierum*, 76 *auxilio exili*, 77 *urbe orba*, 395 *festivum festinant diem*, cum quibus qui Plautina illa *impudicitia*

Venerem expertam (-*a* Cass.) *Vulcanum* (-o Vat.) *Liberumque pariter obsorbuit* (*abs.* Vat.), interpretamentum hoc: *i. e. cocus comedit pisces et panem et holera cocta ad ignem et vinum pariter bibit.* Landgrafius ut trochaeos dimetiretur, verba transposuit *obsorbuit pariter* et lacunam statuit post *Cererem*, atque assensum Ribbeckii tulit (ed. 3 p. 31); sed nihil deesse et ipsa verba et paraphrasis ostendunt. versus hi sunt:

cocus édit Neptunúm, Cererem et Venerem éxpertam Volcánum,
Líberumque páriter obsórbuit,

id est septenarius anapaesticus et versus colo trochaico et cretico constans; nisi *que* abiciendum est. metra similiter composita Pseud. 1249 sq. 1119 sq. Cist. 688 sq.; cf. de cant. Plaut. 11. 20.

1) Pomponius 105 *populis voluntas haec est et vulgo ratast* (sic emendavi traditum *datas*): *refragant primo*, *suffragabunt post*, *scio.* Novius 91 *si aútem pinguest, male cubandum est: * putent pantices*, conieci *cubandum: obesi p. p.* addo Laberi v. 21 *Naevi, áliter hunc pedica <si> vis. Quo modo? Video, adulescenti nostro caedis hillam.* <*Ego?*>, ubi *neve a. h. pedicabis* codd.

2) Eodem lusu Lucilius 1093 *nequam aurumst*, *auris quoivis vehementius ambit.*

impedivit, *flagiti flagrantia* contulerit, plane eandem cognoscet stili disciplinam. item quod Ennius *Priamo vi vitam evitari* dicit (v. 87) duplici adnominatione, quarum altera item usus est Turpilius (202 *quibus rebus vita amantum invitari solet*), altera Lucilius (1079 *vis est vita*, unde Varronis veriloquium de l. l. V 63), figura plane ad idem genus pertinet ad quod Plautina illa *auribus peraurienda sunt*, *me illis quidem haec verberat verbis*, Mil. 939 *si hodie hunc dolum dolamus*[1]). iam in Ennio facere licet quod in Plauto non licet, ut cum exemplari ipso talia comparemus (cf. quaest. Pl. 86). atqui παρονομασία, ὁμοιόπτωτον, ἀντίθετον coniuncta in hoc versiculo (230) *mihi maerores, illi luctum, exitium illi, exilium mihi*, eorum nihil invenitur in Euripidis verbis Med. 371 sq. nec quicquam quale παρονομασία et ὁμοιοτέλευτον hoc *tu me amoris magis quam honoris servavisti gratia* in Euripideis ὡς Ἔρως σ' ἠνάγκασεν τόξοις ἀφύκτοις τοὐμὸν ἐκσῶσαι δέμας (Med. 530), immo figuram positam videmus pro sententia. ergo in Ennio quidem dubitari non debet quin artem secutus figuras rhetoricas usurpaverit. iam eadem qua Ennium ratione Caecilium, qui anno post mortem Enni mortuus est, in vertendo Menandri sermone non figurato eiusdem generis figuris versiculos suos exornasse Gelli beneficio comperimus[2]). qui quae in Plocio posuit *forma et factis facit* (143)[3]), *dum eius mortem*

1) Cf. quaest. Pl. 282. Lachmannus ad Lucr. 143, Raebelius de usu adnominationis 39, Landgrafius de fig. etym.

2) Ex reliquis Caecili fragmentis haec adnotanda sunt: v. 26 *parit huic puerum, sibi probrum*, 39 *cum suom sibi alius socius socium sauciat*, 48 *nisi contra constat contumelia*, 192 *laetitia me mobilitat, maeror molitur metu*, 209 *praestrigias praestrinxit*, 233 *tuis foedis factis facis* (v. s. 143), 250 *nimisque bardum barbarum*. — v. 160 nunc recte Ribbeckius *ubi domum adveni, adsedi*, de qua asyndeti specie dixi quaest. Plaut. 246[4], omisi Rud. 179 *si ad saxum quo capessit, ea deorsum cadit*, 307 *nam cum modo exibat foras, ad portum se aibat ire*, Trin. 749 *ut adeam Lesbonicum, edoceam ut res se habet* (*P*); item recte codices tradunt Titin. v. 51 ex octonariis *át aliquis vestrorum* | *núntiet geminae, ut res suas procuret, aedibus facessat*. O. Altenburg in libello utilissimi consilii De sermone pedestri Italorum vetustissimo (Fleckeiseni ann. suppl. XXIV) p. 17 vellem hunc usum consideratius attendisset.

3) Fragmentum inter pauca nobile sic incipit: *is demum miser est qui aerumnam suam nescit occultare ferre ita me uxor forma et factis facit si taceam tamen indicium*. Ribbeckius nunc anapaestos agnovit, *foris* pro *ferre* retinuit; atque ista sane ut tradita leguntur ferri non possunt, legenda sic sunt:

is démum miser est qui aerumnam suam nescit occulta re
ferre: ita me uxor forma et factis facit, si taceam, tamen indicium.

scilicet si taceat, tamen uxoris formam videant homines, et ipsa efficit ut vir sermonibus differatur (v. 151—157); *indicium facit* quasi verbum transitivum construxit, nisi Ribbeckius recte olim *mea* pro *me* scripsit.

inhio, egomet inter vivos vivo mortuos (147), *ita plorando orando instando atque obiurgando me obtudit* [1]) (150), *sermonem serit* (152), *nam opulento famam facile occultat factio* (172), earum elegantiarum in Menandri versibus a Gellio traditis nullum vestigium est; unde illud quoque de Menandro adnominationis contemptore Plutarchi testimonium re ipsa confirmatur. quod si Plautum per viginti annos cum Ennio et per aliquot certe annos cum Caecilio una fabulas scaenae committentem eisdem eloquii pigmentis sollerter uti intellegimus, Plautum ea ex suo sermonisve popularis ingenio omnia, nihil e rhetorum officina prompsisse iam non poterit contendi.

De artis rhetoricae initiis, qualia Romae fuerint, alii nuper tam egregie disputaverunt [2]), ut satis sit verbo monuisse eis ipsis temporibus quibus Plautus Ennius Caecilius scripserunt primos Romae rhetores instituendae iuventuti operam dedisse; nam octo annis post mortem Enni philosophos et rhetores Roma pulsos esse audimus, id est eodem anno quo Terenti Eunuchus et Phormio actae sunt (593). quod nec factum esse dicemus antequam per aliquod temporis spatium rhetores Romae docuerint nec tempus inferendae in urbem disciplinae aptius quam quod bellum Punicum secundum vel antecessit proxime vel subsecutum est. Ennium autem semigraecum rhetorica tongentem, ut ipsius verbo utar, e patria in urbem commigrasse et ipsum eius disciplinae auctorem potius gravissimum Romae quam discipulum fuisse non probabile sed certum est, Plautum simili modo instructum ex Vmbria venisse non facile suspicabimur neque vero in mercatibus pecuniam perdidisse, rhetoricam acquisivisse. is igitur Romae artem didicit qualem tunc temporis adulescentes graeci et stili ornamenta usurpabat qualia tunc temporis scriptores graecos potissimum usurpasse partim probabile est partim exploratum.

Porro ut altius, quantum licet, escendamus, de Naevi comicis quae attuli (p. 9) elocutionis disciplinam prae se ferre vidimus Plautinae admodum similem; idem in tragoedia talia habet: *ne mihi gerere morem videar lingua, verum lingula* (v. 1), *laudari me abs te, pater, a laudato viro* (15), *cum argutis linguis mutas quadrupedis* (25), *lino linquant lumina* (28), *animi acrem acrimoniam* (35), *⟨ornati⟩ ornamento incedunt gnobili ignobiles* (Liv. com. v. 3, nam id quoque cum Muellero ad Naevi tragoediam refero, cf. quaest.

---

1) Cf. v. 212 *clamo postulo obsecro oro ploro atque imploro fidem,* Afran. 246 *plorat orat*; cf. Haulerus ad Ter. Phorm. 8.

2) Marxius Ad Her. 133 sq., Nordenus Ant. Kunstprosa 169 sq., de Arnim Leben und werke des Dio von Prusa 88 sq.

Pl. 80) et alia varie figurata. in tam paucis Livi Andronici fragmentis quod certa harum figurarum exempla non suppetunt casu factum esse potest; in carmine epico etiam Naevius eis abstinuisse videtur. sed eius fere temporis quo Livius fabulas apud populum dare coepit carmina possidemus duo Scipionum sarcophagis inscripta. quorum alterum sic incipit:

honc oino ploirume cosentiont R⟨omane
duonoro optumo fuise viro,

alterum contrapositum habet *quoius forma virtutei parisuma fuit*; tertii, post Plauti mortem scripti, v. 5 *facile facteis superases gloriam maiorum*, prior carminis pars in antitheto *omnia brevia — in longa vita* nititur, ita quidem ut *brevia* nomen iam propter sequens *longa* electum sit. expressit vetustissimum illud qui elogium in A. Atili Calatini sepulcro olim incisum confecit *hunc unum plurimae consentiunt gentes populi primarium fuisse virum.* haec orationis ornamenta non abhorrere ab Enni charactere acute observavit Woelfflinus (act. acad. Bavar. 1892 p. 200. 211 sq.). ipsa Barbati filiique elogia documenta nobis sunt initiorum artificiosioris dictionis ab Ennio postea excultae in sermone poetico latino, ex ipsis scilicet litterarum initiis; nam ad litteras referre licet elogia graecanico more sepulcris inscripta. hinc illa *duello magno dirimendo regibus subigendis, summas opes qui regum regias refregit, religentem esse oportet religiosus ne fuas* et alia aetatis incertae aut recentioris. nam popularia vetera et quae ex illis propagata sunt homoeoteleutis potissimum conspicua [1]) item atque figura etymologica in sermone publico usurpata (supra p. 5) id quidem faciunt ut minus miremur, quod hae figurarum species tam cito tamque penitus sese in sermonem Romanorum litterarium insinuarint. elogiorum ars tali lusu lusisse videtur praecipue; exemplum verbis versuque magis quam sensu vetustum [2]) habemus epigramma Naevi: *immortales mortales si foret fas flere, flerent divae Camenae Naevium poetam*; vel carm. lat. epigr. 52, 2 *heic est sepulcrum hau pulcrum pulcrai feminae, 959, 9 corpore casto coniunx una meo praedita amans animo fido fida viro veixsit.* sed omnium epigrammatum maxime argutiis et concinnitati studet Scipionis adulescentis ignoti elogium, quod ea ipsa de causa Buechelerus (carm. lat. epigr. p. 8) ad septimi saeculi initia rettulit [3]):

---

1) Cf. Buechelerus mus. Rhen. XXXIV 345, Heimius Fleckeiseni suppl. XIX 545 sq., Nordenus p. 156 sq. 820.

2) Cf. Hermae XXIV 80.

3) Cf. Woelfflinus l. s. 200. 216.

magna sapientia multasque virtutes
aetate quom parva posidet hoc saxsum.
quoiei vita defecit, non honos, honore,
is hic situs, quei nunquam victus est virtutei:
annos gnatus viginti is [div]eis m[an]datus,
ne quairatis honore quei minus sit mand[at]u[s.

hic composita sunt *magna* et *multas* ut *sapientia* et *virtutes*, opposita *magna* et *parva* (ut in elogio tertio *brevia* — *longa*), artificiose iuxta posita *honos honore*; cuius collocationis aliquot exempla dedi in actis soc. Gotting. 1895 p. 433, eodem modo Terentius Phormionis v. 11 *minus multo audacter quam nunc laedit laederet*. rem versu 3 enuntiatam quaesitis verbis explicant v. 5. 6, ubi dolendum quod *diveis* non certissima emendatio est; certe vocabulum fuit mortem Manes sepulcrum significans; *honore* dativum esse arbitror. opponuntur *diveis* — *honore*, quae verba pondus dictionis sustinent, repetitur *mandatus* eo modo quem Quintilianus dicit (IX 3, 67) *cum verbo idem verbum plus significanter subiungitur:* coniuncta sunt *ἀντίθετον*, *παρονομασία*, *ὁμοιόπτωτον*, qui cum Lachmanno *mactus* vel *mactatus* scribit consilium scriptoris infringit. versus longe remòti a compta antiquitate elogiorum vetustis Scipionibus scriptorum, pleni elegantiae oratoriae. de cuius ratione ac natura certius iudicari poterit ubi Terenti artem paulo accuratius consideraverimus.

Hinc enim porro progredi licet ac de artis rhetoricae apud Romanos initiis ex Terentio aliquid addiscere. Terentius igitur adnominationis et contrapositi variis figuris non tam frequenter quam Naevius Plautus Caecilius utitur, immo artius ut videtur hac quoque in re ad Menandri exemplum se applicare volebat. rara apud illum qualia passim attulimus vel talia: Eun. 236 *pannis annisque obsita*, And. 280 *commoveat neque commoneat*, 338 *di boni, boni quid porto*, 378 *ipsus sibi esse iniurius videatur*, *neque id iniuria*, 912 *sollicitando et pollicitando*, Hec. 580 *commerui*, *merito ut caperet odium illam mei* (Turp. 85), Phorm. 500 *ut phaleratis ducas dictis me et meam ductes gratiis* [1]), et ita pleraque comparata ut verbum verbo possit expressum esse. unam speciem, quam elegantiorem Quintilianus dicit [2]), ad quam pertinet illud Plauti *periit at*

---

1) Phorm. 686 *ad restim mihi quidem res redit planissume* aut proverbialiter aut ex Caecilio (215 *ad restim res redit*).

2) Quint. IX, 3, 7 *sed elegantius quod est positum in distinguenda rei proprietate* (Cic. in Cat. 1, 30 *hanc rei publicae pestem paulisper reprimi*, *non in*

non interit et Enni annalium v. 561 M. *navibus explebant sese terrasque replebant*, paulo saepius usurpat: And. 386 *ut ab illa excludar, hoc concludar*, Heaut. 218 *nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati locus*, 372 *inversa verba, eversas cervices tuas*, Phorm. 305 *hominem commonstrarier mi istum volo aut ubi habitet demonstrarier*, 374 *bonorum extortor, legum contortor*. sed plane contraria huic modestiae est ars prologorum Terenti.

Plauti prologorum sermonem prolixum et argutulum adfinem esse et veteris comoediae et Euripidis prologorum sermoni post Frantzium exposui quaest. Pl. 201. Terenti prologi ut genere et argumento diversa sunt ab illis, sic compositione et elocutione. *orator ad vos venio ornatu prologi, oratorem esse voluit me non prologum*, sic Terenti verbis Ambivius, et in oratoris publici speciem ornatus in codicum picturis prologus incedit. atque id quidem non Terentius novavit, ut prologum oratorem faceret; idem iam Plautum fecisse aliquot fabularum praefationes ostendunt, immo poetas atticos fecisse Amphitruonis potissimum prologus confirmat, in quo legitur v. 20 *pater huc me misit ad vos oratum meus*, 33 *iustam rem et facilem esse oratam a vobis volo, nam iusta ab iustis iustus sum orator datus*, 50 *nunc quam rem oratum huc veni* e. q. s., quae partim quidem recentiora Plauto sunt, sed inventio orationis ab attico poeta sumpta sine dubio (cf. quaest. Pl. 202). sed Terentius pro indigestis et argumenti potissimum expositione inflatis orationibus succinctas et oratorias et ex arte compositas atque controversiis etiam iudicialibus similes fabulis praemittit. harum vero orationum artem perquirere magni refert, nam haec quidem ipsius Terenti poemata sunt ac nullo graeco poeta praeeunte concepta, prima nimirum integra de quibus id praedicari possit carmina latina.

Initium ab Andriae prologo faciam qui ordine si non tempore primus est et compositionis perspicuae.

poeta cum primum animum ad scribendum appulit,
id sibi negoti credidit solum dari,
populo ut placerent quas fecisset fabulas;
verum aliter evenire multo intellegit,
nam in prologis scribendis operam abutitur,
non qui argumentum narret, sed qui malevoli
veteris poetae maledictis respondeat.
nunc quam rem vitio dent quaeso animum attendite.

---

perpetuum comprimi posse) *et quae praepositionibus in contrarium mutantur* (ib. 1, 27 *non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur*).

prooemium est captationem benevolentiae continens (1—3) et expositione rei, de qua cognoscere debent, iudices attentos faciens (cf. Quint. IV 1, 34) cum transgressu (v. 8) cavente ne abrupte in narrationem orator cadat (Quint. § 79). sequitur narratio:

Menander fecit Andriam et Perinthiam;
qui *utramvis* recte *norit*, *ambas noverit*,
ita *non* sunt *dissimili* argumento, sed tamen
dissimili oratione sunt factae ac stilo:
quae convenere in Andriam ex Perinthia
fatetur transtulisse atque usum pro suis.
id isti vituperant factum atque in eo disputant
contaminari non decere fabulas.

narrat dilucide quantum satis est, bipertita expositione, ut primum quid fecerit dicat praemissis quibus ad intellegendum opus sit, deinde (15. 16) quid in controversia sit. sequitur, quoniam defensio est quam habet, refutatio:

faciuntne *intellegendo*, ut nil *intellegant*?
qui cum hunc *accusant*, Naevium Plautum Ennium
accusant, quos hic noster auctores habet,
quorum aemulari exoptat *neglegentiam*
potius quam istorum obscuram *diligentiam*.

quam refutationem orator concludit *ἀντικατηγορίαν* non faciens quidem sed comminans:

dehinc ut quiescant porro moneo et desinant
male dicere, *male facta* ne noscant sua.

quibus statim adiungitur peroratio favorem expetens et iniuriam deprecans:

favete, adeste aequo animo et rem *cognoscite*,
ut *pernoscatis* ecquid spei sit relicuom,
posthac quas faciet de integro comoedias
spectandae an *exigendae* sint vobis prius.

perfecta partibus suis oratiuncula est, ad regulam et ex disciplina confecta, item elocutione perpolita. significavi adnominationis exempla, quae incipiunt in prooemio, frequentiora sunt in narratione et epilogo, cumulata in probatione; fere in eiusdem vocabuli formis figura ludit, sed ut accedat plerumque *ἀντίθετον*. cum quavis fabularum parte praeter prologos qui huius sermonis elocutionem contulerit, non poterit dubitare quin ista figurarum frequentia rhetoricae vel oratoriae prologi indoli debeatur.

Eunuchi prologus paulo aliter institutus est, ita quidem ut prooemium (v. 1—8 vel 6, nam v. 7. 8 iam ad sequentem particulam pertinent) non narratio excipiat, sed *ἀντικατηγορία* (9—13), quae hic post principia prologi posita est, non ubi ex regula potius locum haberet post refutationem (30—41); scilicet statim ab initio, quasi continere se non possit, in adversarium orator invehitur lacessitus ea re quam deinde prolaturus est. nam post v. 13 transitum facit ad expositionem dicens etiam alia se habere contra illum proferenda, *si perget laedere* (v. 6 *quia laesit prior*, quo iam redit), *ita ut facere instituit.* sequitur narratio (19—26) et refutationis propositio (27—29), refutatio, epilogus. in hac oratione prooemium et epilogus sermonem praeter ceteras partes figuratum habent:

> si quisquamst qui placere se studeat bonis
> quam plurumis et minume multos laedere
> in his poeta hic nomen profitetur suom;
> tum si quis est qui dictum in se inclementius
> existumabit esse, sic existumet,
> responsum non dictum esse, quia laesit prior,
> qui bene vortendo et easdem scribendo male
> ex graecis bonis latinas fecit non bonas[1]).

et v. 42 sq.:

> qua re aequomst vos cognoscere atque ignoscere,
> quae veteres factitarunt si faciunt novi:
> date operam, cum silentio animum attendite,
> ut pernoscatis quid sibi Eunuchus velit

ubi in eodem verbo luditur in quo And. 24. 25 et Heaut. 218 (s. p. 15). alio modo ab orationis iusto ordine recedit Phormionis prologus, ut cuius argumentum posuisse poeta videri velit non in defensione vel accusatione magis quam in adnuntiatione fabulae v. 25—29 (24 *nunc quid velim animum attendite*), quam epilogus excipit (30—34); sed caret prologus prooemio, statim ipsam rem aggreditur, id est veteris poetae contumelias profert (1—5), vitia

1) Don. ad v. 2 *πρῶτον ἀντίθετον*, ad v. 6 *figura πλοκή, nam 'dictum' modo bis numero positum supra nomen significat, infra participium* (Alex. de fig. 37, 16 Sp. *ἐπὶ τούτου τοῦ σχήματος ταῖς αὐταῖς λέξεσι χρώμενοι πλεονάκις ἕτερα σημαίνομεν*), item ad v. 27 (*si id est peccatum, peccatum imprudentiast*) et ad v. 41 (*nullumst iam dictum quod non sit dictum prius*), omissum ad v. 23 *furem non poetam fabulam dedisse et nil dedisse verborum tamen*, ubi magis quaesitae sunt argutiae.

2) Don. ad v. 42 *σχῆμα λόγου παρόμοιον.*

persequitur (6—8), superbiam infringit (9—11). haec igitur *ἀντικατηγορία* est, quam sequitur huius partis peroratio (12—23) quae ad iudicum affectus movendos acrius sermonem intendit. agnoscimus artificium poetae in hoc quoque prologo componendo ut quasi abripi se patiatur iniuriis adversarii ad respondendum. quod consilium et indicavit et occuluit hoc orationis transitu v. 12 sq.:

nunc si quis est qui hoc dicat aut sic cogitet:
vetus si poeta non lacessisset prior,
nullum invenire prologum posset novos,
quem diceret, nisi haberet cui male diceret:
is sibi responsum hoc habeat, in medio omnibus
palmam esse positam qui artem tractant musicam.

horum versuum quartum (v. 15) Guietus Ihnius Ritschelius, item docti editores Fleckeisenus et Dziatzko spurium esse iudicaverunt, quoniam 'non dicere sed scribere prologum poetae esse' existimandum sit [1]). quod licet verum sit, tamen illos opinio fefellit; scilicet *diceret* non *scriberet* Terentius propter figuram posuit; de quo genere iam monui ac saepius infra monendum erit [2]). quae figura regnat in sequentibus:

ille ad famem hunc a studio studuit reicere,
hic respondere voluit, non lacessere:
bene dictis si certasset, audisset bene,
quod ab illo adlatumst, sibi esse id rellatum putet.
de illo iam finem faciam dicundi mihi,
peccandi quom ipse de se finem non facit.

desinit figura in versibus fabulam describentibus (25—29), redit in epilogo, regnat etiam in accusatione, v. 8 sq.:

et eam plorare, orare [3]) ut subveniat sibi.
quod si intellegeret, quom stetit olim nova,
actoris opera magis stetisse quam sua,
minus multo audacter quam nunc laedit laederet.

antitheti autem in omnibus his versibus plura esse exempla quam quae propter adnominationem notavi facile apparet. Adelphorum prologus prooemium (v. 4 *indicio de se ipse erit, vos eritis iudices* singulis vocabulis contrapositis [4])) habet, quod narratio (6—14) ex-

1) Ritschelius parerg. 551, Dziatzko ed. p. XXX.

2) Haec postquam scripsi, Phormio post Dziatzkonem ab Haulero docte enarrata prodiit; qui et ipse figuram agnovit versumque vindicavit.

3) V. s. p. 12[1].

4) Don. ad v. *bene, quia apud iudices indicium profitentur qui accusatorem adiuvant.*

cipit ita comparata ut contaminationis defensionem in se contineat paucis verbis indicatam. adiungitur alius cavillationis refutatio (15—21) sollerter figurata:

quod illi maledictum vehemens esse existumant,
eam laudem hic ducit maxumam, quom illis placet
qui vobis universis et populo placent,
quorum opera in bello, in otio, in negotio
suo quisque tempore usust sine superbia.

finem facit dicens se non argumenti narrandi causa processisse (cf. And. prol. 6) et fabulae poetaeque favere spectatores iubet.

Ab horum ac reliquorum prologorum similitudine recedit brevitate sermonis et argumenti prior Hecyrae prologus paucis versibus sic conceptus:

Hecyraest huic nomen fabulae. haec cum data ⟨nova⟩st,
novae novom intervenit vitium et calamitas[1]),
ut neque spectari neque cognosci potuerit;
ita populus studio stupidus in funambulo
animum occuparat: nunc haec plane pro novast.
et is qui scripsit hanc ob eam rem noluit
iterum referre, ut iterum posset vendere.
alias cognostis eius: quaeso hanc noscite.

legi virorum doctorum commentationes quibus comprobare studuerunt post v. 7 multa intercidisse; sed argumenta ad persuadendum apposita non inveni. nihil per hanc fabulae praefationem poeta agit nisi ut Hecyram novam fabulam esse ostendat vel potius contendat, nam ante quinquennium iam eam scaenae datam fuisse negare non potest. ergo hoc dicit: 'tunc non est peracta, pro nova igitur est si non nova; ac si quaeritis cur non exactam statim rettulerim, id ea de causa feci, ut iterum vendere possem: id quod nunc feci. iam in hac facite quod in aliis meis consuevistis'. nihil hic aut deest sententiae tenori aut obest perspicuitati. illud potius quaerendum est, quid sit quod huic rei confirmandae, novam vel pro nova fabulam esse, prologus conscribendus fuerit. certe non quod novae magis in honore essent fabulae quam quae iam actae fuissent, quo argumento contenti esse solent qui de re opinionem protulerunt. immo et Eunucho id honoris accidit ut iterum ageretur et reliquas Terenti fabulas in scaenam relatas esse didascaliae docent et Caecili fabulas Ambivius Turpio fecit ut *inveterascerent, ne cum poeta scriptura evanesceret*, id est ut etiam

1) Don. *est figura παρονομασία.*

post mortem fabulae eius agerentur, et actor populo studiose expetenti Plautinas fabulas *antiquam eius edidit comoediam* (Cas. 13) non sine irrisione comoediarum quae nunc novae prodirent. cur igitur tam curiose novitatem fabulae iam actae, certe exactae defendit ac non id potius Terentium in prologo proferre Ambivius iussit, indignam fuisse Hecyram quae exigeretur et dignam esse quae spectetur, quo modo in altero prologo rem gerit, cum Caecili fabulis Hecyram comparans? sed eodem modo de Heautontimorumeno: *novam esse ostendi*, de Phormione: *adporto novam*, de Adelphis: *eam nos acturi sumus novam*, quae scilicet locum contineat in Commorientibus a Diphilo positum, a Plauto omissum. apparet quae res sit: certus locus in ludis scaenicis novis fabulis erat, item certus veteribus; novae cum agi deberent, iam actis locus non erat. iam reminiscimur certaminum atticorum, quae qualia ipsis Terenti temporibus fuerint tituli ante hos viginti annos inventi docuerunt. atque Athenis quidem primum histrio *παλαιᾷ*, Menandri scilicet Posidippi Philippidis, certavit, deinde poetae novis suis fabulis, item Oropi et Thespiis non multo post Sullae tempora *τραγῳδίας* et *κωμῳδίας παλαιᾶς ὑποκριτής*, deinde *τραγῳδίας* et *κωμῳδίας καινῆς ποιητής* cum actoribus suis [1]). eodem modo Romanorum certamina scaenica Terenti quidem aetate ordinata fuisse ex prologis fabularum eius et Casinae Plautinae manifesto consequitur. quod non multis annis ante Terenti fabularum tempora factum esse prologi a Plauto scripti docent qui de novitate comoediarum tacent; neque vero antequam Naevius et Plautus thesaurum veterum fabularum condiderunt, attico more certamina instituti poterant.

Paulo difficilius de Heautontimorumeni prologo iudicium est, de cuius corruptela non tantum sed de emendationis quoque ratione consentire videntur viri docti post Dziatzkonis subtilem disputationem. ego si interpretari potero versus conclamatos, de coniecturis pugnare non debebo. incipit prologus a iusta partitione:

nequoi sit vostrum mirum, quor partis seni
poeta dederit quae sunt adulescentium,
id primum dicam, deinde quod veni eloquar.

sed non primis verbis dicit cur prologi partes susceperit, sed de nomine fabulae agit; cuius mentio in Phormionis prologo his ver-

---

1) IGS. 420, 25 sq. 1760, 29 sq. 1761, 3 sq., de quorum tempore Dittenbergerus p. 141 sq. et ad 1760. ex imperatorum aetate, fortasse II. saeculo, titulus Thespiensis 1773.

bis praeparatur (24): *nunc quid velim animum attendite*, prologus Asinariae nominis pronuntiandi causa se procedere dicit, similiter alii. ergo critici aut partitionem inverterunt (*id deinde dicam, primum quod veni eloquar*) aut versuum ordinem. atque *cur partis seni poeta dederit* inde a v. 11 exponi manifestum est: *oratorem esse voluit me, non prologum: vostrum iudicium fecit, me actorem dedit, si hic actor tantum poterit a facundia quantum ille potuit cogitare commode qui orationem hanc scripsit quam dicturus sum* (in quibus regnat ἀντίθετον sine adnominatione, praeter illa *tantum poterit — quantum potuit*); sequitur de contaminatione narratio cum refutatione. iam quae inter v. 3 et 11 intercedunt consideremus:

ex integra graeca integram comoediam
hodie sum acturus Heautontimorumenon,
duplex quae ex argumento factast simplici.
novam esse ostendi et quae esset; nunc qui scripserit
et quoia graeca sit ni partem maxumam
existumarem scire vostrum, id dicerem:
nunc quam ob rem has partis didicerim paucis dabo.

ultimo versu ipse se revocat ad id quod primo se dicturum esse adfirmaverat; ipse igitur indicat non statim ab ipsa re se incepisse sed aliquid praemisisse. praemisit nomen fabulae, quod primum est in Hecyrae prologo priore, in Plautinis pronuntiari solet ubi ab ambagibus ad rem acceditur. notum autem est quantas molestias criticis nostris nomina fabularum in prologis Plautinis non loco atque ordine scilicet posita exhibuerint; qua de re dixi quaest. Pl. 222 sq. iam, ut hoc primum dicam, Heautontimorumeni prologus tempore primus est ex Terentianis quos habemus[1]; artis subtilioris, quam in prologis scribendis consectatus est, initia tenemus. secum reputasse Terentium opinor quo potissimum loco nominis mentionem poneret et aptiorem non invenisse; scilicet nec rhetor erat satis exercitatus et poeta non grammaticus. rationem rei assequemur fortasse, si quaeremus cur omnino fabulae nomen in hoc prologo data opera pronuntiaverit; nam in Andriae Eunuchi

---

1) Andriae prologus non primae fabulae actioni scriptus est (cf. quaest. Pl. 89), Hecyra primum sine prologo acta; fortasse Andria quoque primum sine prologo: nempe non improbabile est abstinere Terentium prologis voluisse, qui Euripideam argumenti exponendi rationem derelinquere animum induxisset (quaest. Pl. 174 sq.), deinde in Hecyra adversam fortunam expertum prologo commendaticio opus esse intellexisse et inde ab Heautontimorumeno suam prologi formam, aliorum poetarum exempla secutum, usu excoluisse.

Adelphorum secundo Hecyrae prologis memorat quidem nomen, sed ut spectatoribus notum esse ex ipso mentionis genere appareat, ut docuit Dziatzko de prologis Plaut. et Ter. p. 3 sq., in Hecyrae priore a nomine nuncupando incipere debebat, cum nihil aliud dicturus esset quam Hecyram novam fabulam esse; de Phormionis autem nomine cur certiores faciat spectatores ipsa verba docent (24 sq.): nomen non idem est quod graecae comoediae, id cur mutaverit exponendum erat ne adversarii, quorum opera quam sollers ac varia fuerit scimus, de exemplari attico rumores disseminarent[1]; nam inde a Caecilio nomina graeca tenere moris erat, quem diligenter in ceteris Terentius servat. ergo in Heautontimorumeno quoque causa esse debet cur nomen cum cura proferat. dicit se *ex integra graeca integram comoediam* acturum esse. *integra* aut significat totam, *ὁλοσχερῆ*, aut intactam, *ἀκήρατον*. utrum hoc loco significet sequentia verba docent *novam esse ostendi*, ut controversia nulla esse possit (cf. Ad. prol. 10 *eum Plautus locum reliquit integrum*); sed iure suo interrogat Dziatzko p. 8, de hac significatione dubitans, 'qualem enim statuamus integram latinam comoediam esse?' nimirum *ex integra integram* cum figura dictum est, leniter inflexa vocabuli notione ut repetitum apponi posset, ut in illis *quem diceret nisi haberet cui male diceret.* eadem observatio de versu sequenti valet, quem iam criticorum consensus suo loco deiecit. *duplex quae ex argumento factast simplici* verba quam sententiam habere debent ea simplicius fortasse et ad intellegendum facilius sic enuntiaretur: quae argumento cum sit duplici ex una tamen comoedia conversa est. sed Terentius potius dixit duplicem fabulam esse quidem, quae scilicet duo adulescentium negotia complectatur (ut ante Heautontimorumenon in Andria fecerat, sed contaminatis duabus attici poetae fabulis), argumentum vero unum esse, id est uni fabulae a poeta attico substructum: *διπλοῦς μὲν ὁ λόγος, ὑπόθεσις δ' ἐστὶν μία.* ac nemo dubitaret, si sic potius locutus esset: duplex quae ex argumento facta uno est tamen; nunc figurae causa *simplici* pro *uno* post illud *duplex* extulit, quam elocutionis venustatem eo obscuritatis modulo compensavit qui satis fuit ad criticorum dubitationes emendationes condemnationes exci-

---

1) Phorm. 24 *adporto novam, Epidicazomenon quam vocant comoediam Graeci, Latini Phormionem nominant, quia primas partis qui aget is erit Phormio parasitus, per quem res geretur maxume*; non dixit *latine hic Phormionem nominat*, ut figurae integritatem servaret, eadem scilicet ratione qua v. 15 (supra p. 18) et eo Heautontimorumeni loco de quo nunc agimus. — hoc quoque Haulerum video recte observasse ad v. 26.

tandas. tamen simplex pro uno alias quoque ac sine figura ponitur, cuius usus exempla in lexicis vulgo feruntur. primum igitur novam esse fabulam Terentius sic enuntiat ut unam graecam esse simul appareat, deinde unam esse propriis verbis dicit, ne propter duplex fabulae negotium suspicio oriatur idem hic quod in Andria poetam fecisse. iam videmus non tantum novam fabulam esse et quid nomen sit eum ostendere, sed aliud accedere; quod si crimen v. 16 sq. ab Ambivio diluendum ipsum contaminationis crimen esse comperimus, iam scimus opinor cur nomen dederit et cur hoc loco posuerit. potuit autem primae orationis parti, quam futuram dixerat, praeponere renuntiationem ad prologi initium natura pertinentem, licet non dextere magis rem instituerit quam Plautus Merc. 8 sq. his versibus additi 7—9 morem detrectant ex Plautinis prologis notum, ratione indicata: *ni partem maxumam existimarem scire vostrum*, ex quibus verbis apparet titulum fabulae cum nomine poetae latini graecique ante ludos ita publicatum esse ut qui rem curaret comperire posset (cf. quaest. Pl. 222), nihil igitur fieri debuisse nisi ut novitatem fabulae prologus comprobaret vel alia crimina suspicionesque, si proferrentur vel proferri posse viderentur, confutaret. illud autem aliis consuetum poetis, ut poetarum nomina in prologo renuntiarentur, hoc uno loco, id est in uno prologo servatorum quidem prologorum primo, se non facturum esse declarat; unde mihi certe constat versus huic ipsi prologo non ulli alii destinatos esse. denique quod repetito *nunc* sententias in transitu adnectit: *nunc qui scripserit* — *nunc quam ob rem* —, non aliter factum videmus in Asinariae prologo v. 6 *nunc quid processerim huc et quid mihi voluerim dicam: ut sciretis nomen huius fabulae; nam quod ad argumentum attinet, sane brevest. nunc quod me dixi velle vobis dicere dicam* vel Men. 5. 14 Amph. 50. 64. iam exsolvit promissum dicens se oratorem magis quam prologum prodire, ut senis facundia poeta, ipse ut ait *ἐνθυμηθῆναι κράτιστος γενόμενος*, utatur. sequitur contaminationis crimen cum defensione, v. 20

habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi[1])
licere id facere quod illi fecerunt putat.

1) Haec quidem nominis cum pronomine relativo repetitio proprii generis est, in legum et in scriptorum maxime latinorum sermone usitati neque ex arte rhetorica derivandi; de quo multi hac aetate dixerunt. sed compar Terenti exemplum est alterum in prologo Hec. 10 *eodem ut iure uti senem liceat quo iure sum usus adulescentior*, cf. 30. 31, ut Terentium certe solitae sibi in prologis figurae hanc speciem apponere appareat. Plauti exempla (cf. Bachius Studemundi stud. II 353, de attr. inv. 14 sq.) haec sunt, rationis pleraque certe non artificialis;

deinde alterum crimen:

> tum quod malevolus vetus poeta dictitat,
> repente ad studium hunc se adplicasse musicum
> amicum ingenio fretum, haud natura sua:
> arbitrium vostrum, vostra existumatio
> valebit; qua re omnis vos oratos volo
> ne plus iniquom possit quam aequom oratio.
> facite aequi sitis, date crescendi copiam
> novarum qui spectandi faciunt copiam.

quorum versuum ultimus rarissimam in vetere latinitate structuram habet propter figuram item ut illi de quibus diximus, ut scilicet *spectandi* et *crescendi* concinerent. sequitur ἀντικατηγορία, deinde perorare incipit (v. 35), sed ita ut multis verbis et intento ore sibi ipse pro auctoritate sua populi benevolentiam expetat. atque dubitari potest utrum haec pars ea sit quam initio significavit verbis *deinde quod veni eloquar* an eam iam a v. 16 incipere dicamus; atque hoc quidem probabilius est primam partem esse usque ad v. 15, alteram defensionem cum accusatione adversarii (—34), adici perorationem.

Restat Hecyrae prologus secundus, qui ut tempore ultimus est sic omnium maxime eodem illo sermonis artificio luxuriatur. diversus est a reliquis longioris ambitus prologis eo quod nullam defensionem aut accusationem habet, sed narrationem duplicem: priorem (6—27) de Caecilio post prooemium, alteram (33—42) de Hecyra post prooemium alterum (28 *nunc quid petam mea causa aequo animo attendite*); ipsum deinde quod petit perorationem efficit (43—57). orationem esse, non prologum, primis statim verbis indicatur prooemii, quod sic decurrit:

> Orator ad vos venio ornatu prologi:
> sinite exorator sim, eodem ut iure uti senem
> liceat quo iure sum usus adulescentior,
> novas qui exactas feci ut inveterascerent,
> ne cum poeta scriptura evanesceret.

Epid. 41 *est causa qua causa simul mecum ire veritust*, Merc. 1015 *immo dicamus senibus legem censeo — qua se lege teneant*, Aul. 561 *etiam agnum misi. Quo quidem agno* —, Cas. 309 *una opera — qua opera*, Men. 955 *ut parentur quibus paratis opus est*; artificiose magis Rud. 680 *ne vis me opprimat, quae vis vim mi adferam ipsa adigit*, plane ut Lucilius 860 *accipiunt leges, populus quibus legibus exlex* —, paulo aliter Merc. 101 *mulier qua mulier alia nullast pulcrior* et Cas. 863 *senem quo senex nequior nullus vivit.* similia et quae Brixius ad Mil. 142 composuit et quae Vssingius ad Mil. 624. Ciceronis usum perquirere operae pretium est.

hic *orator* et *ornatu*, cuius *o* longam esse scimus, sono coniunguntur, deinde *exorator* ad *oratorem* accedit propter figuram, ut Mil. 643 (s. p. 6) *oblocutor* ad *cavillatorem*; quibus nominibus a verbo derivatis uti quidem licebat homini latino, sed neminem vetustiorem usum videmus nisi cum figura his ipsis locis [1]. accedit adnominationi figura sententiae, cum *orator* opposito *exoratore* ad propriam orandi notionem iam deflectatur [2], ut eiusdem nominis notione ludit Plautus Stich. 495 *equidem hercle orator sum, sed procedit parum* (verba parasiti respondentis dicenti *haud aequomst te inter oratores accipi*) et Poen. 358 *sed vide sis ne tu oratorem hunc pugnis pectas postea*, cum praecesserit *exora, blandire, expalpa* [3]. in paucis igitur versibus usurpatur et παρονομασία (*orator — exorator, iure uti — iure usus*) et πάρισον (*orator — ornatu*) et ὁμοιοτέλευτον (*inveterascerent — evanesceret*) et ἀντίθεσις (*senem — adulescentior, novas — inveterascerent, inveterascerent — evanesceret*) [4]. iam narrare incipit:

in eis quas primum Caecili didici novas,
partim sum earum exactus, partim vix steti.
quia scibam dubiam fortunam esse scaenicam,
spe incerta certum mihi laborem sustuli:
easdem agere coepi et ab eodem alias discere
novas, studiose, ne illum ab studio abducerem.
perfeci ut spectarentur; ubi sunt cognitae,
placitae sunt: ita poetam restitui in locum
prope iam remotum iniuria adversarium
ab studio atque ab labore atque arte musica.
quod si scripturam sprevissem in praesentia
et in deterrendo voluissem operam sumere,
ut in otio essem potius quam in negotio,
deterruissem facile ne alias scriberet [5].

---

1) Adfertur praeterea Tertulliani de pudic. p. 265, 21 R. *per exoratorem patris Christum*, deinde v. 25 *horum ultra exorator non erit Christus*; cf. 266, 9 *pro quibus nec exorare permittitur.*

2) Cf. Festus p. 182.

3) Cf. Lorenzius ad Most. 1126. Mil. 1072 *quomque oratricem haud sprevisti sistique exorare ex te.*

4) Genus dicendi illustrabo sic ludens vertendo: *gesandt erschein ich im prologgewand, gewandt genug als greis das recht zu üben das ich, ein jüngrer mann, als recht geübt. manch junges stück ward altes bühnengut, da ich gedicht und dichter nicht veralten liess.*

5) Don. ad v. 17 *honesta figura quae dicitur* ἀντίθεσις, ad v. 19 παρόμοιον. v. 20 cf. v. 3 *ut neque spectari neque cognosci potuerit.*

v. 18 quod traditam est *ut ab eodem alias discerem* propter sententiam immutavi, non propter figuram; nam quod nunc *agere* et *dicere* concinunt, in traditis *discerem* et *abducerem*. sed v. 21 *placitae sunt* figurae causa posuit [1]). v. 26 *essem* scripsi, non *esset* cum codicibus. ceterum de artificiis sermonis nihil moneri oportet nisi in enuntiato v. 24—27 subtiliore modo verba composita esse propter oppositionem verborum scribendi ac deterrendi. iam ad ipsam rem transit:

nunc quid petam, mea causa aequo animo attendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium
numquam agere licitumst: ita eam oppressit calamitas.
eam calamitatem vostra intellegentia
sedabit, si erit adiutrix nostrae industriae [2]).

ac de Hecyra narrare pergit:

quom primum eam agere coepi, pugilum gloria,
funambuli eodem accessiti expectatio,
comitum conventus strepitus, clamor mulierum
fecere ut ante tempus exirem foras.
vetere in nova coepi uti consuetudine,
in experiundo ut essem: refero denuo.
primo actu placeo, quom interea rumor venit
datum iri gladiatores: populus convolat,
tumultuantur clamant pugnant de loco:
ego interea meum non potui tutari locum [3]).

haec quoque exscripsi, ut appareat quam parce figuram asperserit narrationi, quam potius descriptionis vivacitate aures oblectare et allicere animos voluerit. ergo quibus potuit coloribus pugilum et funambuli adventum, deinde, per *τρίκωλον*, propter gladiatores po-

---

1) Plautus *placui* Stich. 762 Capt. 1035 (Poen. 1371), *placuerim* Merc. 103, *placuero* Men. 670, Terentius *placui* And. 102. 109, *placuero* Eun. 1067; quasi pro adiectivo Plautus Amph. 635 *ita divis est placitum* et Terentius Hec. 241 *quae vobis placitast condicio*, quomodo loqui loco quem tractamus nec ratio linguae nec usus commendabat. Bembini didascalia primo ex prologo habet *non est placita*, deinde *placuit*. conferenda Diomedis adnotatio p. 402 *apud Turpilium — legimus 'iurata sum' perfecto finitivo dictum: iuvenis est qui consulit, meretrix respondet 'non sum iurata', pro eo sane quod est 'iurasti. non iuravi'.* ubi aegre ferimus omissam adulescentis interrogationem. *iuratus sum* usitatum quidem Plauto est, sed Turpili aetate rarum.

2) Don. ad v. 31 *calamitatem repetiit, ne nos fabulam illum dicere putaremus* parum recte, v. p. 24 adn.

3) Don. ad v. 37 *ἀντίθετον primum,* ad v. 42 *facete repetit locum.*

pulum *ὠστιζόμενον περὶ τῶν ξύλων* depinxit, *ἀντίθετον* tantum in media narratione et cum adnominatione in ultima posuit. v. 26 quod traditum est (*funambuli eodem accessit expectatio*) sive pugiles et funambulum accessisse, comites et mulieres fecisse ut histriones exigerentur dicas sive versum *παρένθετον* facias, grammatica utrumque, elocutio neutrum patitur; sed bonum versum quo iure eiciamus non video: emendavi restitúta verbi forma de qua dixit Buechelerus mus. Rhen. 39, 414, quam tradit in Plauti Cas. 604 palimpsestus cum codicibus praeter Veterem et Apulei Florentinus metam. VI 31. deinde perorat prologus:

nunc turba non est, otium et silentium est [1];
agendi tempus mihi datumst, vobis datur
potestas condecorandi ludos scaenicos:
nolite sinere per vos, artem musicam
recidere ad paucos, facite ut vostra auctoritas
meae auctoritati fautrix adiutrix siet.
si numquam avare pretium statui arti meae
et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,
quam maxume servire vostris commodis,
sinite impetrare me, qui in tutellam meam
studium suom et se in vostram commisit fidem,
ne eum circumventum inique iniqui inrideant.
mea causa causam accipite et date silentium,
ut lubeat scribere aliis mihique ut discere
novas expediat posthac pretio emptas meo [2].

Quam lepide λέξεις compostae! haec igitur illa ars est quam homines nobiles simul et eruditi illius aevi, quibus Terenti elegantia cordi fuit, maxime probabant; haec illa ars ad cuius normam Scipionis adulescentuli elogium expolitum est. nam iam intellegimus plane consimilem esse artem carminis illius *magnam sapientiam multasque virtutes* arti prologorum Terenti [3]. atque Scipio Aemilianus quidem

---

1) *ἀντίθετον* rectius exprimit Bembini scriptura quam Calliopii haec *turba nulla est.*

2) Don. ad v. 50 et 54 *παρόμοιον*, ad v. 55 *παρονομασία*.

3) In prologorum sermone quomodo hoc artis genus obtinuerit luculenter Laberi prologus ostendit, qui sic incipit:

Necessitas, cuius cursus transversi impetum
voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,
quo me detrusit paene extremis sensibus?
quem nulla ambitio, nulla umquam largitio,
nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas
movere potuit in iuventa de statu,

Sulpicium Galum *non modo vinosum sed virosum quoque* in oratione dixit (Gell. VI 12, 5), Metellus Numidicus C. Manlium *cum indignissimum cui a viris bonis bene dicatur tum ne idoneum quidem cui a probis male dicatur*, eum se *neque amicum recipere neque inimicum respicere* (Gell. VII 11, 3); de qua oratorum Romanorum arte ex Asiae urbibus arcessita ita egit Nordenus p. 169 sq. ut ego verbis iam abstineam. sed rem accuratius istis demum Terenti oratiunculis adhibitis intellegi arbitror.

Tandem ad Plautum revertor. quem supra dixi *optionis* vocabulo propter concinentiam abusum esse (p. 8), *oblocutor sum* post nomen verbale pro verbo finito posuisse (p. 6); interim Terentium vidimus illa *quem diceret nisi haberet cui male diceret*, *ex integra graeca integram comoediam*, *duplex quae ex argumento factast simplici*, *Epidicazomenon quam vocant comoediam Graeci*, *Latini Phormionem nominant*, *date crescendi copiam novarum qui spectandi faciunt copiam*, *orator ad vos venio — sinite exorator sim*, *ubi sunt cognitae placitae sunt* omnia ob eandem rationem elocutum esse ut tradita legimus, verborum formatione constructione significatione propter figuram et concinnitatem paululum inflexis. quae ratio per sermonem pedestrem ac poeticum latissime patet atque nuper a Nordeno[1]) exemplis cum cura ex omni artificialis sermonis genere electis illustrata est. omisit fere veterem Romanorum poesin, quae quam multa ex discendi disciplina traxerit tamen satis intelleximus, item quam saepe verbis rectius intellegendis aut a coniectura vel damnatione vindicandis figurae observatio prodesse possit. ergo rem satis iam exploratam exemplis ex vetusta Latinitate sumptis atque nonnullis etiam recentioribus confirmare pergam.

Causa rei insita est linguarum naturae, eadem scilicet quae in vocabulorum formatione saepe effecit ut formae secundum vocem similis contrariaeve notionis immutatae procrearentur[2]). neque ab

---

ecce in senecta ut facile labefecit loco
viri excellentis mente clemente edita
summissa placida blandiloquens oratio.
etenim ipsi di negare cui nil potuerunt
hominem me denegare quis posset pati?

deinde hoc genus derelinquit, placide causam statuit, tum elato sono affectus movere incipit aliarum figurarum opera utens, metaphora praesertim, quam v. 115 praeparatam insigni elocutionis splendore per aliquot versus persequitur.

1) De Minucii Felicis aetate et genere dicendi p. 15—29. cf. Marxius Ad Herenn. 171.

2) Cf. Wackernagel verm. beitr. z. griech. sprachkunde 36.

ullo aut sermone aut tempore talia vel ioco vel serio prolata aliena sunt. puer Pompeianus ascripto in pariete *inclinabiliter* subscripsit *ceventinabiliter* (carm. lat. epigr. 356, cf. p. 855), Cicero ad Att. I 16, 13 *quare ut opinor φιλοσοφητέον et istos consulatus non flocci facteon*, Laberius (quod notavit Nigidius apud Gellium III 12) v. 80 *non mammosa, non annosa, non bibosa, non procax*, in Atellana Novius (v. 35) *paenularium* finxit secundum *ζωνάριον*; idem v. 43 *supellex multa quae non utitur, emitur tamen.* sic Caecilius (v. 5) *voltis, emptast; noltis, non emptast*[1]) et, ut de verborum coniugatione nonnulla addam non propter iocum prolata, Apuleius metam. III 12 *nec qui laverim, qui terserim, qui domum rursus reverterim prae rubore memini* vel VI 29 *et Phrixum arieti supernatasse et Arionem delphinum gubernasse et Europam tauro supercubasse.* nomen verbale novavit Naevius in tragoedia, ut substantivum substantivo opponeret, v. 23 *ingenio arbusta ubi nata sunt, non obsitu* (nam sic in Harleiano et aliis recte traditum esse existimo[2])). cuius generis multa Nordenus congessit. eodem pertinet nomen plurale plurali adiunctum pro singulari, ut in illis Plauti *summis opibus atque industriis* (Most. 348), *quorum animis avidis atque insatietatibus* (Aul. 478[3])), itemque Hesiodi op. 30 *ὤρη γάρ τ' ὀλίγη πέλεται νεικέων τ' ἀγορέων τε.* sed species maxime comica est qua vocabulum terminatione alteri assimilatur ut aut novum oriatur vocabulum aut, ut in illis *facteon* et *ceventinabiliter*, tantum terminatione novum. de qua specie monui olim in vindiciis Plautinis (p. 8), scilicet ad analogiam deminutivi nominis quod est *ploratillus* Plautum finxisse *verberetillum* in versibus sermone diligenter exaequatis Poen. 377 sq.:

iam hercle ego faciam ploratillum, nisi te facio propitiam,
atque hic ne ⟨in⟩ me verberetillum faciat, nisi te propitio,
male formido: novi ego huius mores morosi malos.

1) De quo recte iudicavit Solmsenus stud. 54, de Novio et titulo Pompeiano Ribbeckius et Buechelerus suis locis. — iocose *mutuet* non *mutuetur* Caecilius v. 11 *ad amicos curret mutuatum. Mutuet mea causa*; Turpilius 157 fortasse *ut par est expars malitiis*, idem 173 *dum ego conixi somno, hic sibi prospexit vigilans virginem* forma praelata propter sonum.

2) Recte Langenus explicavit quod Valerius Flaccus IV 715 posuit *tantas quamvis Tyrrhenus et Aegon volvat aquas*; nam *quanto fremitu se sustulit Aegon* etiam I 629 legitur et in epigrammate Lucillii (A. P. XI 247) *ἀντλεῖται δ' Ἀδρίας, Τυρρηνικὸς, Ἰστρικὸς, Αἴγων*, sed Valerius propter Aegonem ausus est etiam Tyrrhenum dicere et praeposito quidem, quo audacior figura fieret, novo maris nomine; qua de re infra dicam.

3) Cf. ad Pers. 753.

hoc modo Ergasilus iocatur Capt. 85:

> prolatis rebus parasiti venatici
> sumus, quando res redierunt, molossici
> odiossicique et multum incommodestici,

ubi non tantum *odiossici* ad *molossicos*, sed *incommodestici* praeterea ad *immodestos*, qui cogitatione comparantur, adludunt; non enim opus est ipsum enuntiari vocabulum quod alterum ad similitudinem sui traxerit, velut Rud. 636 *virgidemiam* Plautus finxit et ignotus poeta (pall. inc. 99) repetiit non apposita *vindemia*. hoc modo Epidicus v. 233 vestimentorum indicem claudens *cúmatile aut plumatile, carinum aut cerinum — gerrae maxumae*, ubi adnotavi quibus opus; scilicet ad *cumatile 'a graeco tractum'* assimilavit *plumătile*, ad *carinum* i. e. *καρύινον cērīnum* a cera ductum[1]), aucta vi comica eo ipso quod vocabulum ad cuius analogiam alterum effingitur insolitum et peregrinum sonat. plerumque ut par est praemittitur verbum vetus et volgatum, adiungitur novum nec semper ioci causa formatum, sed interdum ut dictio varia magis et copiosa evadat. sic Rud. 269 *ergo aequius vos erat candidatas venire hostiatasque* novum est *hostiatas*, Truc. 318 *blandimentis, oramentis, ceteris meretriciis* non traditum quidem (*hortamentis A, ornamentis P*), sed certo restitutum nomen non alia causa natum quam qua Men. 211 *sincipitamenta porcina* post *scitamenta* (209) vel Stich. 173 (*inanimentis explementum quaerito*) comicum communi vocabulo praemissum[2]). item Mil. 189ª trium nominum *confidentiam confirmitatem fraudulentiam* medium novum est, v. 191 trium adiectivorum *falsilocum falsificum falsiiurium* primum duo sequentia procreavit, Pers. 410 *procax rapax trahax* prima duo tertium, quo artificio potissimum vis orationis efficitur[3]). fieri sane solet ut cum ioco risum excitaturo

---

1) Turpilius v. 74 in fine senarii virginem dixit *riculam indutam ostrīnam*, ut duobus locis (p. 539. 549) Nonius tradit, nec mihi constat emendandum esse *ostrīnam indutam riculam.* Propertius novit *ostrīnum*, Varronis versus a Nonio p. 549 adlatus prosodiam non ostendit (Menipp. 121 *aurorat ostrinum hic indutus supparum*); Turpilius nescio an *ostrĭnum ὀστρέινον* dixerit. haec colorum vocabula usitata veteribus latinis, sic Plautus Aul. 510 *flammarii, violarii, carinarii* 514 *molocinarii,* Caecilius 139 *carbasina, molochina, ampelina,* Novius 71 *mollicinam* i. e. *molocinam*, Varro (apud Nonium p. 550) *anthracinis proximo amiculo nigello.*

2) Titinius v. 165 *obstrudulenti aliquid, quod pectam sedens, aut luculentaster aut formaster frigidus* finxit et *obstrudulentum* et *luculentastrum*, hunc (pro *luculentulo*, ut adnotavit Buechelerus in Ribbecki editione tertia) secundum *formastrum*, nisi praecessit quo utrumque nomen luculentius fieret.

3) Caecilius v. 51 alter *velim paulisper te opperiri*, alter interrogat *quan-*

talis dictio coniuncta sit. ut parasitum rogantem *ne se incomitiet* trapezita interrogat Curc. 401 *licetne inforare si incomitiare non licet?*, ille respondet *non inforabis me quidem, nec mihi placet tuom profecto nec forum nec comitium*; Poen. 544 *attrepidate saltem, nam vos adproperare hau postulo* (cf. ad v.); Curc. 232 *supparum aut subnimium* (item); Rud. 422 *subvolturium — illud quidem, subaquilum volui dicere* et ad volturium adludit et ad volendi verbum sermone conformato ut Frivol. frg. 8 *tunc papillae primulum sororiabant — illud volui dicere, fraterculabant*, ubi Verrius Flaccus explicando comico vocabulo frustra operam dedit (cf. ad Pseud. 301). his locis fere novum verbum praemittitur, item fortasse Curc. 463 (*halapantam aut sucopantam*), item Curc. 660 *tu ut hodie adveniens cenam des sororiam, hic nuptialem cras dabit*, et quae deinde adferam Pseud. 1237 Men. 191[1]); quo quod oritur acumen dictionis differt a solito illo, quo quasi pungitur vel pulsatur mens audientis, cum hoc suspensa teneatur aliquantisper[2]). de Trin. 820 *salsipotenti et mulsipotenti* Buechelerus dixit, etiam ad carm. lat. epigr. 318, 4 (*Salsa dulcior nectare*) eiusdem figurae admonuit. Curc. 286 *nec demarchus nec comarchus* alterum nomen auribus inservit, non sententiae. haec ad etymon pertinent; Trin. 1014 *thermopotasti* non posuisset Plautus nisi antecederet *thermipolium*. sed plerumque, ut Trin. 820 et alias factum vidimus, in eo figurae proprietas posita est, ut notionis contrariae vocabula vetustum ac novum sibi opponantur[3]) aut certe per enuntiati formulam contraria sibi vi-

---

tisper? videatur hic natum esse *quantisper* vocabulum comicum, sed Pomponius v. 43 (utrumque locum Nonius 511 adfert) eodem modo *possum exorare te ut recedas a me paulisper modo?* insequente altero *quantisper?* utrubique idem factum esse potest, potest Pomponius Caecilium imitatus esse. usitatum *tantisper*. item Caecilius v. 62 *quid tibi aucupatiost argumentum aut de meo amore verbificatiost patri?* quasi a verbificando participiale assimilavit alteri. idem v. 116 *in tuo collost: decolles cave* ridicule quasi de collo demas, cum verbum significet collum demere potius (Diom. p. 365 K.: quo sensu Lucilius luserit 371[b] incertum, de Plauti verbis Capt. 497 errat grammaticus).

1) Titin. 1 *inauratae atque inlautae mulieres* quod inauratas non auratas (Pl. Epid. 222 Men. 801) dicit, id propter sequens *inlautae* fecisse videtur comice. idem v. 117 (*itum gestum amictum*) posuit *itum* ut in *itu reditu* fieri solet.

2) Similis generis aliquot exempla dedi in Woelfflini archii IX 163.

3) Hoc modo *μητρίς* in litteras graecas venit, etiamsi Cretensibus in usu fuerit ante Platonem. qui quod dixit de rep. 575 D *ὥσπερ τότε μητέρα καὶ πατέρα ἐκόλαζεν, οὕτω πάλιν τὴν πατρίδα, ἐὰν οἷός τ' ᾖ, κολάσεται ἐπεισαγόμενος νέους ἑταίρους, καὶ ὑπὸ τούτοις δὴ δουλεύουσαν τὴν πάλαι φίλην μητρίδα τε, Κρῆτές φασι, καὶ πατρίδα ἕξει τε καὶ θρέψει*, inde et Plutarchus sumpsit (an seni resp. ger. sit 792 E) *ἡ πατρὶς καὶ μητρίς, ὡς Κρῆτες καλοῦσιν* et Synesius ep. 94, hic quidem patria omissa matriam appellans, *τῆς γε μητρίδος, ὡς ἂν Κρη-*

deantur esse; ut si dicit Pomponius v. 7 *at ego rusticatim tangam, urbanatim nescio* (illud a rusticando derivatum, hoc tantum adverbio accommodatum) vel C. Canius apud Ciceronem de off. III 58 *otiandi non negotiandi causa* [1]) vel Plautus Truc. 434 *non amantis mulieris, sed sociae unanimantis* participium participio apponens, Pseud. 791 *non coquinumst, verum furinumst forum.* hinc nata illa Pseud. 1237 *certumst mi hunc emortualem facere ex natali die,* Truc. 62 *unde ante parta demus postpartoribus,* Epid. 223 *an regillam induculam an mendiculam* (ubi ad *regillam* notio, ad *induculam* forma novi nominis adludit), Merc. 31 *multiloquium: parumloquium,* Truc. 422 *tecum usque ero assiduo. Immo hercle vero accubuo mavelim,* hoc ea sermonis forma qua Cas. 494 *hordeias. immo triticeias* (cf. ad l.) vel Most. 1031 *numquid Tranio turbavit? Immo exturbavit omnia,* verbis partim ridicule fictis partim, ut in Mostellariae versu, alias usitato in certam significationem deflexo. sic Truc. 489 *pluris est oculatus testis unus quam auriti decem,* Pseud. 301 *eme die caeca hercle olivom, id vendito oculata die* (cf. ad l.) [2]). non aliter quam illud *exturbavit* dictum Most. 1112 *non radicitus quidem hercle, verum etiam exradicitus.* si Plautus scripsisset Pseud. 955, ut codices (*AP*) tradunt, *non prorsus verum ex transverso cedit,* ex consuetudine scripsisset; sed comicam analogiam secutus est, ut Varronis testimonio compertum habemus testantis *ut transversus non proversus cedit,* cf. Solmsenus stud. 63 sq. similiter ut hic specie saltem ad formam sic ad notionem verbi cascam et primariam redit propter figuram Capt. 898 *spondeo. at ego tuom tibi advenisse filium respondeo.* ad istam speciem praepositiones verba composita nova efficiunt ex contraposito, ut Capt. 900 *bene ambula et redambula,* Men. 191 *induviae tuae atque uxoris exuviae,* Afran. 5 *simul limen intrabo, illi extrabunt ilico* (velut lumbrici intrante talpa), vel iuxta positis, ut Trin. 344 *deserere illum et deiuvare in rebus advorsis pudet,* 406

τες εἴποιεν, inde oraculum de Homero ut apud Pausaniam legitur (X 24, 2 *πατρίδα δίζηαι· μητρὶς δέ τοι, οὐ πατρὶς ἔστιν*, quae soluta et amplificata sunt in vita Plutarchea *μητρὸς δέ τοι οὐ πατρὸς ἔστι μητρόπολις* e. q. s., A. P. XIV 66, cf. Eust. ad α 58 *μητρὶς ποιητικώτερον, ἔτι δὲ ἡ μητρόπολις κάλλιον*). unum tamen vestigium vocabuli in litteris ante Platonem extat in Photi glossa *μητρίδα τὴν πατρίδα καὶ Πλάτων καὶ Φερεκράτης.* sed Pherecrates quo modo luserit ignoramus.

1) Cf. Porph. ad Hor. sat. I 6, 128.

2) Novius v. 7 *ad lupam nostram tam multi crebro commetant lupi.* simile acumen habere videtur eiusdem v. 22 *in molis non ludunt raptim, pila datatim —,* sed nec de verbis nec de sententia constat.

comessum expotum, *exussum*, *elotum in balineis* (cum Asin. 196 eadem significatione *abusa* legatur) et praemisso novo verbo Afran. 192 *expeierabant execrabant se ac suos*; sic ut verba concinant Ennius in annalibus *omnes occisi occensique in nocte serena* et in Iphigenia *Acherontem obibo*, *ubi mortis thesauri obiacent*, quibus versibus Festus utitur (p. 201) docens *ob praepositione antiquos usos esse pro ad.* non compositio nova est sed constructio Men. 136 *perii, in insidias deveni. immo in praesidium*, fere ut Epid. 720 querentibus senibus *uterque sumus defessi quaerere* respondet *ego sum defessus reperire*, *vos defessi quaerere* vel Ar. Eq. 295 *διαφορήσω σ' εἴ τι γρύξεις* alter, alter *κοπροφορήσω σ' εἰ λαλήσεις*[1]).

Haec propter antitheton novata antequam relinquam, duos locos perstringam nondum ut fieri oportebat a corruptelae suspicione vindicatos. Alter est Apulei metam. IV 26 ext., ubi queritur virgo a latronibus in ipso nuptiarum apparatu rapta: *sic ad instar Attidis vel Protesilai dispestae disturbataeque nuptiae.* sed *dispestae*, quod sane difficultatem non habet, emendationi debetur, traditum est *dispectae.* quod probaverunt Gulielmius, Scioppius et veterum editorum pars, sed Oudendorpius 'sine exemplo' esse causatus vicit, ac iam nusquam est vocabulum nisi in adnotatione critica, una cum multis bonis inventis boni scriptoris. certe non satis erat dixisse *dispectum* esse ab eo quod est '*dispecisci* sive pactum divellere'; sed dicendum fuerat cogitationi scriptoris obversari *pactas* nuptias eisque opponi *dispectas.* atque in eadem narratione virgo praedicaverat adulescentem sibi *votis nuptialibus pacto iugali pridem destinatum.* alter locus Lucreti est non tam facili opera expediendus. qui postquam exposuit corpora esse et inane nullamque praeter ea naturam nec quae sub sensus cadat nec quae ratione animi percipi possit, pergit (I 449 sq.) de coniunctis et eventis dicens, quae Epicuro sunt *ἀίδιον παρακολουθοῦντα* et *συμπτώματα*:

nam quaecumque cluent aut his coniuncta duabus
rebus ea invenies aut horum eventa videbis.
coniunctum est id quod nusquam sine permitiali
discidio potis est seiungi seque gregari,
pondus uti saxis, calor ignis, liquor aquae,
tactus corporibus cunctis, intactus inani.
servitium contra, paupertas divitiaeque,
libertas, bellum, concordia, cetera quorum

1) Schol. *ἔπαιξε παρὰ το διαφορήσω σε.*

adventu manet incolumis natura abituque,
haec soliti sumus, ut par est, eventa vocare[1]).

agitur de versibus 453. 454; quorum priore quod *aquai* editur, id facere sane licet et commode coniunguntur *ignis* et *aquai* (nam de dativis in *ai* disyllabon exeuntibus nugas narrant grammatici poetarum usus ignari, ut Lachmanni verbis utar), sed obest *saxis*; cui quod substituunt *saxist*, iam hic quidem versus expedite decurrit, sed non ei convenit cum sequente qui dativos habet. quare ad illud *saxis* referimur et quaerimus an non *aquae* dativus sit aliquo modo corruptus ut *ignis*, pro quo Lambinus *ignibus*, alii *ignist* scripserunt. hanc difficultatem Lachmannus removit eiecto versu 454, cuius auctorem contendit aut peregrinum fuisse aut parum percepisse linguae latinae ingenium, cum *intactus* recto casu, ut pro substantivo sit, latine dici non possit; scilicet *iniussu* ut *inauspicato* in usu esse, alias *iniussus* et similium nominum formas non usurpari. quod cum verissimum sit, assensi sunt Lachmanno Bernaysius et Munro, non assensus Briegerus, quem Giussanius sequitur. de re Briegerus hoc dicit, primum dativo opus esse videri ut v. 449, qui versus habet quidem *coniuncta* cum dativo coniunctum sed non probat *pondus saxi* non recte dici; deinde interrogat 'cur Lucretius ausus non sit hic Ennium imitatus dativum in *ai* desinentem scribere?' sed Ennio *terrai frugiferai* non magis

1) Versuum 455—458 structuram, nominativi scilicet ut sequente verbo quasi suspensae derelinquantur, exemplis non satis aptis Munro inlustravit. similiter Cicero de fin. III 11 *ceterae philosophorum disciplinae — eas nihil adiuvare arbitror* intermissis sane aliis, cf. Madvigius p. 357. 322; consimiliter in enumeratione Seneca Oed. 691 *cultus, opulentae dapes, donata multis gratia nostra salus: quid tam beatae desse fortunae rear?* Herc. f. 1221 *dira Furiarum loca et inferorum carcer et sonti plaga decreta turbae, si quod exilium latet ulterius Erebo, Cerbero ignotum et mihi: hoc me abde, tellus,* cf. Sen. trag. II 376; Seneca pater suas. 1, 1 *stat immotum mare, quasi deficientis in suo fine naturae pigra moles. novae ac terribiles figurae, magna etiam Oceano portenta, circumfusa lux alta caligine et interceptus tenebris dies, ipsum vero grave et defixum mare et aut nulla aut ignota sidera: ea est, Alexander, rerum natura, post omnia Oceanus, post Oceanum nihil,* nam haec ut interpunxi legenda sunt: *stat — moles* sua sibi sententia constat nec potest cum sequentibus coniungi, in quibus legatur *ipsum vero grave et defixum mare,* deinde post *sidera* non finaliter interpungendum. item § 2 ext. *foeda beluarum magnitudo et immobile profundum: testatus es, Alexander, nihil ultra esse quod vincas* (male Bruxellensis *testantur*). non multo aliter Plautus Pseud. 1259—1270, quam ad l. explicavi structuram; aliter, nominativis pronomini adsertis, Bacch. 87 *quia istoc inlecebrosius fieri nil potest: nox, mulier, vinum homini adulescentulo,* cui consimile illud Ciceronis de fin. II 107 *haec leviora ponam: poema — signum, tabula, locus amoenus, ludi, venatio, villa Luculli,* quod cum Lucretio Munro comparavit.

dativus fuit quam *aulai medio* Vergilio. ceterum merito Briegerus (p. XXIV) id quod v. 454 sententiae addit vindicare studuit, saltem quod corporibus omnibus coniunctum est ne silentio praetermittatur; nam Bernaysius (opusc. II 50), qui *cluent* v. 449 indicare opinatur tantum de vulgari opinione et loquendi consuetudine sermonem esse, cum de tactu philosophorum sententia sit non vulgi opinio, non persuadet, eo minus quod tantum admonere poeta debebat rei modo accurate pertractatae, v. 434 sq.:

nam quodcumque erit, esse aliquid debebit id ipsum,
augmine vel grandi vel parvo denique, dum sit;
cui si tactus erit quamvis levis exiguusque,
corporis augebit numerum summamque sequetur;
sin intactile erit, nulla de parte quod ullam
rem prohibere queat per se transire meantem,
scilicet hoc id erit vacuum quod inane vocamus.

unde id quoque intellegitur, cur ut *tactus* corporibus, sic quod tangi non possit inani coniunctum esse dicatur; *ἀναφῆ φύσιν* Epicurus dicit (ad Herod. § 40), nihil facit nec patitur *ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι' ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχεται* (§ 67), coniunctum est *ἡ ἀντιτυπία μὲν τοῦ σώματος, εἶξις δὲ τοῦ κενοῦ* (Sext. Emp. X 221): quae omnia ad id redeunt quod uno verbo eloquitur Lucreti v. 454. iam qua ratione dicendi enuntiaverit *tactus corporibus cunctis*, *intactus inani* post omnia quae adhuc disputavi edisserere supersedeo [1]; illud, ne quis figuram philosopho indignam iudicet, recordari moneo, qua via Democritus ad *δέν* illud suum pervenerit. nimirum *τὸ ἀντίθετον* et notionem et vocem procreat, non graecam tantum vel latinam; exempla dabo scriptorum nostrorum intima linguae perscrutatorum Iohannis Pauli (XVII p. 214 ed. 1841): *ach das schlechteste an der menschheit oder u n m e n s c h h e i t ist, dass kein mensch, kein fürst, keine zensur — die bitterste rüge des krieges verwehrt* et Jacobi Grimmi (hist. ling. germ. p. 632): *wie sticht dies unbeholfne schieben der form ab gegen das b e h o l f n e durch blossen anlaut.* quod si v. 454 recte habet, versu antecedente *saxis* dativum recte traditum esse dicemus, *ignis* et *aquae* vitium traxisse; quibus una, quantum video, medela parari potest, ut scribatur:

pondus uti saxis, calor ignibus, liquor aquis est,
tactus corporibus cunctis, intactus inani

---

1) Lachmannum id non perspexisse sane mireris, sed idem illud *accubuo* post *assiduo* iocose elatum se 'non capere' dixit ubi item de formatione aliqua vocabulorum legem exposuit p. 307.

versu 453 concluso ut in hoc libro 245 *dissimiles constant aeternaque materies est*, 716 *quorum Acragantinus cum primis Empedocles est* vel II 95 *quod quoniam constat, nimirum nulla quies est.*

Adfine aliud figurae genus est, quo duo vocabula ita coniunguntur ut alterum ad rem ipsam vel ad argumentum sententiae enuntiandum inutile sit, sed ad colorem sermoni inducendum vigoremve augendum cum cura electum. iocatur leno Pseud. 343 puellam vendidisse se dicens *sine ornamentis, cum intestinis omnibus* (cf. Stich. 172 *venalis ego sum cum ornamentis omnibus*) vel Gripus Rud. 1170 puellam quae siciliculam et suculam quaerit perire iubens *cum sucula et cum porculis* vel ut videtur (nam obscuri aliquid verba habent, cf. ad l.) senex puellam adulescentibus cedens Merc. 988 *cum porcis cum fiscina.* alterum his additum membrum sic fere ut Ar. Vesp. 480 **οὐδὲ μὴν οὔπω 'ν σελίνῳ σοὐστὶν οὐδ' ἐν πηγάνῳ**, nam ad **σέλινον**, quod in noto proverbio est (paroem. gr. I p. 442), **πήγανον** apponitur quasi ad rem aliquid faciat[1]). tantum propter sonum duplex facta locutio Curc. 612 *cum bolis cum bulbis*, scilicet in malam crucem ut eat, tantum propter figuram Curc. 289 *incedunt suffarcinati cum libris cum sportulis*; sed ex eiusdem figurae sibi usitatae analogia parasitum fecit non ipsis proprie viro et uxori sed servato viri et uxoris nomine familiae ex qua excidit imprecantem Men. 666 *cum viro cum uxore di vos perdant*, quae verba quod emendatores corrumpunt nec hic nec aliis locis curo. alia figurae species est sed ratio captandi risus eadem, quod Aul. 487 de avaris Megadorus dicit: *quorum animis avidis atque insatietatibus neque lex neque sutor capere est qui possit modum*, dictum quo modo in Menedemum illud *ὡς οὔτε σκηνὴν οὔτε ψήφισμα προσήκει τῷ σοφῷ γράφειν* (Diog. Laert. II 125); pro sutore si aliud nomen posueris, iam nihil significabit *capere modum.* atque haec quidem omnia mimicum dicendi genus et cavillatorium decent; nobilior figurae species cuiusque gnarum esse oporteat qui auctores graecos latinosque intellegere velit ea est quam abundantiam vel pleonasmum antitheticum Dielsius appellavit (Hermae XXXI p. 354, Parmen. p. 66. 96) a Wilamowitzio (Eur. Her. II² 231 sq.) exemplis ex poetico pedestrique Graecorum sermone sumptis illustratam. post Homerum scilicet, apud quem Vlixes laudationem Diomedis his verbis excipit *μήτ' ἄρ με μάλ' αἴνεε μήτε τι νείκει* (K 249, cf. Dielsius Hermae l. s.) nullus fere est poeta scriptorve nobilis qui non eadem figura utatur. qua id efficitur ut, cum ipsa res assumpto eius antitheto enuntietur, totus quasi eius rei orbis describi vi-

---

1) Schol. Ven. **τὸ δὲ πήγανον εἶπεν ἐπειδὴ καὶ σέλινον προέταξεν.**

deatur; quod fieri potest etiam coniuncto verbo non ipso contrario sed quod alio modo ad rem pertineat. genus loquendi Plauto notum esse Vahlenus ostendit in indice lectionum a. 1880 p. 6 explicatis versibus Men. 106 *nam neque edo neque emo nisi quod est carissimum* ('duo ponit sed sentit unum: mens enim parasiti est in edendo; cui verbo alterum, emendi, etiam soni similitudine commendatum, adicitur quo vis asseverandi vel negandi augeatur' sic Vahlenus), Trin. 134 *neque de illo quicquam neque emeres neque venderes* ubi de emendo tantum agitur, Epid. 514 ubi fidicinae fides reposcenti verbis *fides non reddis?* respondetur *neque fides neque tibias* [1]). huius figurae auxilio Ergasilus Capt. 76, invitatus quidem lusu per aliquot versus continuato, parasitos 'invocatos' esse comprobare potuit, scilicet *quos numquam quisquam neque vocat neque invocat*; sensum quidem *invocat* nullum habet, sed antithesin. sic Pers. 172 sq. anus meretricem his verbis increpans *nam equidem te iam sector quintum hunc annum — quom interim tu meum ingenium fans atque infans nondum etiam edidicisti* omne aetatis tenerae et adultae tempus complecti volt, cum sine contraposito *fantem* ne eloqui quidem potuerit; id igitur facit ut Catullus dixit *omnia fanda nefanda* et alii similiter, sed Ennius *fata fanda*, Lucilius *fandam famam*. cum persona Plautina dicit *mihi divini numquam quisquam creduat* (Bacch. 504) vel *numquam edepol tu mihi divini creduis post hunc diem* (Amph. 572), iuranti sibi in posterum fidem derogat; amplificatam ubi invenimus locutionem *neque divini neque mi humani posthac quicquam accreduas* (Asin. 854), iam videmus quo modo amplificata sit [2]), atque apertius quoque Poen. 466 ubi haruspicem de litatione respondentem spectans leno ait *quid ei divini aut humani aequomst credere?* nam tantum de re divina agitur. optime Gronovius exposuit de Curculionis per viam currentis versibus 296 sq.:

tum isti qui ludunt datatim servi scurrarum in via,
et datores et factores omnis subdam sub solum.

'sermo parasiti mere nugax est; nam quia *datores* appellavit (solent autem iurisconsulti coniungere haec duo, *dare facere*, tum in re venerea utrumque conectitur), quasi de alterutro horum loqueretur, cum appellandos haberet *datores* hos datatim ludentes, quasi plenius dicit *et datores et factores*: non quod haec vox ea in re proprie quid significet, sed risus gratia'. non potuit rectius, ac frustra

---

1) Caecil. 190 *at pol ego neque florem neque flocces volo mihi, vinum volo:* invitaverat sic loquentem aliquis ad florem Liberi.

2) Cf. mus. Rhen. XXXVIII 2.

fuerunt inde a Lambino qui certum significatum eius quod est *factores* aut aliud nomen ad ludum proprie pertinens quaerebant. aliud exemplum dictionis praebet Mil. 617, ubi Pleusicles modeste admodum atque ut adulescentulo liberaliter educato convenit apud senem se excusat quod tanta negotia ei ac molestias facessat: *hoc me facinus miserum macerat meumque cor corpusque cruciat*, cum de corporis cruciatu serio cogitari nequeat, verba tamen serio efferantur; hic quoque *corpus* ut adderetur sonus vocabuli suadebat, nec vitiosum esset v. 783 *cui facetiarum* ⟨*cor*⟩ *corpusque sit plenum et doli*, sed ibi evidenter emendavit Dziatzko *cor pectusque.* accidit etiam ut duobus verbis tertium addatur, cuius generis exempla graeca Wilamowitzius dedit. non aliter intellegi debet quod Pers. 777 legitur *qui sunt — quique fuerunt quique futuri sunt posthac, solus ego omnibus antideo* et Bacch. 1087 *quicumque ubi ubi sunt, qui fuerunt quique futuri sunt posthac — solus ego omnis longe antideo stultitia et moribus indoctis*, nam de futuris praedicere ridicule desperantis est. simili modo excurrens, ceterum differens dictione ac sensu Terentius Heaut. 243, ubi quaerenti *audin, Clinia?* respondet *ego vero audio nunc demum et video et valeo*, *Clitipho* vel Cicero pro Quinctio 90 *ex quo et ex ceteris dictis factis cogitatisque Sex. Naevi quivis potest intellegere illum nihil aliud egisse neque nunc agere nisi uti per vim — totum agrum — suum facere possit*, nisi quod hic *dictis factis*, quae cognosci ab aliis possunt, *cogitata* apponuntur, de quibus nemo quicquam intellegere potest, tantum ut quaecumque ad rem pertinere ullo modo possint una dictione comprehendantur. Ciceronem advocavi ut, quod in simili causa saepe feci, genus loquendi ex merae latinitatis flumine haustum esse tali auctore testarer. eiusdem ex scriptis philosophicis duos locos adferam, alterum de fin. IV 47 *sic errare Zenonem, qui nulla in re nisi in virtute aut vitio propensionem ne minimi quidem momenti ad summum bonum adipiscendum esse diceret*, ubi Guietus Davisius Baiterus alii, cum ad summum bonum adipiscendum virtus non vitium propensionem habeat, *aut vitio* delebant, Madvigius dubitat an utrumque 'neglegentia quadam' nominaverit; quippe locutus est ut apud Thucydidem Pericles (II 41) *πανταχοῦ δὲ μνημεῖα κακῶν τε κἀγαθῶν ἀίδια ξυγκατοικίσαντες*, qui certe *τῶν κακῶν* mentionem non fecisset nisi propter figuram [1]. alter locus priori consimilis est et ad tuendam eius quoque lectionem idoneus, de off. III 119 *nec vero finis bonorum et malorum, qui simplex esse debet, ex dissi-*

1) Schol. *κακῶν πρὸς τοὺς πάσχοντας, λέγει δὲ τὰ τρόπαια*, perverse ut recentes interpretes, in quibus fuerunt etiam qui *καλῶν* conicerent.

millimis rebus misceri et temperari potest. hic quidem Mureto auctore omnes deleverunt *et malorum*, figurae scilicet ignari. iterum graeci comparabo auctoris exemplum admodum huic Tulliano appositum, verba scriptoris de sublimitate quibus ad argumentum libri accedit (2, 1): *ἡμῖν δ' ἐκεῖνο διαπορητέον ἐν ἀρχῇ, εἰ ἔστιν ὕψους τις ἢ βάθους τέχνη.* nec eiciendum est *ἢ βάθους* cum Iahnio nec cum aliis emendandum neque etiam ita ut Rothsteinius fecit (cf. Hermae XXII 538) defendendum, sed locutus est scriptor ut fecit omnem quasi altitudinis et profunditatis regionem dictione permensurus; tam fortiter autem cur hoc loco locutus sit sequentia verba ostendunt: *ἐπεί τινες ὅλως οἴονται διηπατῆσθαι τοὺς τὰ τοιαῦτα ἄγοντας εἰς τεχνικὰ παραγγέλματα.* adversarios igitur contendentes audimus *μηδεμίαν εἶναι ὕψους ἢ βάθους τέχνην*[1]. alius optimus auctor latinitatis Horatius est. qui quod carm. II 18, 38 dicit *hic levare functum pauperem laboribus vocatus atque non vocatus audit* (quae apte contulit Classenus Thucydideis I 118 *καὶ αὐτὸς ἔφη ξυλλήψεσθαι καὶ παρακαλούμενος καὶ ἄκλητος*) vel epod. 5, 48 *Canidia rodens pollicem quid dixit aut quid tacuit?* utrubique per contrarium universam rem complectitur ac fallitur egregie Kiesslingius, qui eo quod est *quid tacuit* quasi corrigi illud *quid dixit* autumat, cum Canidiae sequens oratio non pronuntianda scilicet sed mussitanda scripta sit a poeta. recte vero idem ad art. poet. 113 *Romani tollent equites peditesque cachinnum.* quo contraposito totum theatrum significat, ut Plautum Poen. 832 *equitem peditem* omnes ingenuos complectentem dixisse adnotavi. sed hoc interest inter Horati et Plauti locum: Horatius equites nominat ut cultiorem spectatorum partem, eis cum acumine adiungit pedites[2], Plautus *quodvis genus hominum* in lenonis aedibus versari dicens enumerat *equitem peditem, libertinum, furem fugitivom verberatum vinctum addictum*, id est tres hominum ordines, atque servorum quidem genus ex eis quae agit quaeque patitur multis nominibus notat, libertinorum commemorat tantum, ingenuos significans contrarias notiones conectit ut fieri solet in talibus: *omnia fanda nefanda, aequa et iniqua ferunt, non sacro non profano abstinebant, οὔτ' ὀργή σε κρηγύην οὔτε βέβηλος αἰνεῖ.* quae figura cum specie consimilis sit ei de qua agimus, re diversa est.

---

1) In Dionis Chrysostomi verbis III 28 *νῦν δὲ οὔτε ἰατρὸν ἄλλους τινὰς ἀκούειν ἢ λέγειν λόγους φαίην ἂν ὀρθῶς ἢ τοὺς περὶ ὑγιείας σώματος καὶ νόσου* tametsi verum est quod Arnimius significavit ad sententiam tantum pertinere *ἀκούειν*, tamen nescio an delere non liceat *ἢ λέγειν.*

2) Sic Pomponius in Prostibulo, sed praemisso nomine quod acumen habet, v. 154: *quae peditibus nubere poterant, equites sperant spurcae.*

Hunc figurarum ad idem genus pertinentium circuitum qui considerat, ratione qua nulla certior intellegere poterit quid inter Plauti Terentique dictionem discriminis intercedat. luxuriat Plautus figurati sermonis affluentia, lascivit acuminibus, scatet mille rivulis iocosae iucunditatis; Terentius atticae parsimoniae peritus occulit artem et ea plerumque elocutionis decoramenta vitat quae verba non sensus figurant. hoc est quod Caesar, attico ipse characteri deditus, tamen in comoedia desiderat: *lenibus utinam dictis adiuncta foret vis comica*; hoc etiam est quo comoedia cultior ex favore populi litterisque Romanis excidere coepit. in Plauti fabulis quid placuerit Romanis equitibus peditibusque qui cognoscere volet, pro exemplo legat Curculionis sermonem v. 280—298; nullus fere versus est quin vel sono vel sensu aures mentemve illiciat mulceat exerceat. neque tamen, id quod et mirificum in tali causa maxime est et rei summam attingit, usquam in Plauti illa abundantia aut ornatus nimius displicet aut quaesita sentitur et coacta venustas aut pigmenta conspicua sunt artificio obducta magis quam nativi colores; quae omnia accidunt in illorum et sequiorum temporum scriptis artificialibus. atqui Plauti sermonem ab arte rhetorica non alienum esse certo intelleximus. haec igitur res est: artificiis utitur ille quidem, sed divitias dictorum domi habet; didicit quidem quibus adminiculis et infantis sermo aliquid esse videri possit, usurpat ea eatenus, ut poetae non vulgi sermonem in comoedia exhibeat. integros fontes accedit, *οὐκ ἀπὸ κρήνης πίνει.* de canaliculis bibentem deprehendimus Terentium in prologis id est in orationibus scribendis; in fabulis prudenter abstinuit dicendi genere cuius artificiis sermones opplere nolebat, Plautina libertate uti non valebat. fugit Terentius eam artis partem quam multos in vitium ducere vidit, Plautus artem ingenio vicit.
